OFFICIA PROPRIA

ALMÆ CUSTODIÆ

TERRÆ SANCTÆ

VERONÆ
TYPOGRAPHICA VERONENSIS
IX - 1936

FR. NAZARENUS JACOPOZZI

ORDINIS FRATRUM MINORUM

ALMÆ PROVINCIÆ S. BONAVENTURÆ IN TUSCIA

ALUMNUS

GUARDIANUS SS. MONTIS SION

ET SS. SEPULCRI D. N. J. CHRISTI

COMMISSARIUS VISITATOR GENERALIS

TOTIUS TERRÆ SANCTÆ CUSTOS

ET HUMILIS IN DOMINO SERVUS.

Sacra Rituum Congregatio, vigore Decretorum diei 16 Decembris 1902 et 10 Augusti 1921, huic nostræ Almæ Seraphicæ Custodiæ Terræ Sanctæ nonnulla peculiaria Officia, aliaque vero solemniori ritu quam ab Ecclesia universali celebrantur, celebranda concessit.

Nos vero, virtute nostri ministerii, idoneos deputavimus Religiosos, ut in unum diversa Officia, hinc inde dispersa, necnon Lectiones pro respectivis Octavis, colligerent, in commodum Sacerdotum et Clericorum huius Almæ Custodiæ, et ut Opus Dei magis magisque ordinate, perfecte, ac facilius juxta rubricas perficiatur. Peculiaria Officia, in præsenti contenta libello, declaramus perfecte concordare cum originalibus ab Ecclesia approbatis; proinde auctoritate nostra typis imprimi mandamus: præcipientes omnibus nostræ curæ subjectis ut in posterum fideliter hoc libello utantur, juxta rubricas, in recitatione Divini Officii.

Datum Hierosolymis, ad SS. Salvatorem, pridie Kalendas Junias A. D. MCMXXXVI, in festo Pentecostes.

P. NAZARENUS JACOPOZZI
Custos Terræ Sanctæ

KALENDARIUM

MENSIS JANUARIUS

Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam: **SS. Nominis Jesu,** IN PATRIARCATU HIEROSOLYMITANO Titulum Ecclesiæ Concathedralis, *duplex 1 classis.*

Dominica infra Octavam Epiphaniæ: **S. Familiae,** *duplex 2 classis* - NAZARETH, Titulum Ecclesiæ « Nutricionis », *duplex 1 classis cum octava communi.*

Dominica II post Epiphaniam: **Initii Signorum D. N. J. C. in Galilaea,** *duplex 2 classis* - CANA GALILÆÆ, Titulum Sanctuarii, *duplex 1 classis cum octava privilegiata III Ordinis.*

» NAZARETH, *commemoratio Octavæ S. Familiæ.*

15. IN ÆGYPTO: S. Pauli primi Eremitæ C., *duplex 2 classis - Comm.* S. Mauri Abb.

17. MOHARREMBEY in ÆGYPTO: S. Antonii Abb. et Conf., Titulum Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi.*

23. Desponsationis B. Mariæ V., *duplex 2 classis - Comm.* s. Joseph, s. Raymundi C., *semiduplex,* et s. Emerentianæ V. M.

24. MOHARREMBEY in ÆGYPTO: Octava s. Antonii Abb. et C., *duplex majus. - Comm.* s. Timothei Ep. et M., *duplex.*

25. DAMASCI: Conversionis s. Pauli Ap., Titulum Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi. - Comm.* s. Petri Ap.

26. BETHLEHEM: s. Paulæ Romanæ Viduæ, *duplex 2 classis* - *Comm.* s. Policarpi Ep. M., *duplex.*
27. CONSTANTINOPOLI: s. Joannis Chrysostomi Ep. C. Doct., Titulum Ecclesiæ Cathedralis, *duplex 1 classis.*

MENSIS FEBRUARIUS

1. DAMASCI: Octava Conversionis s. Pauli Ap., *duplex majus.* - *Comm.* s. Petri Ap., bb. Eustochii et Veridianæ VV. 2 et 3 Ord., *duplex*, et s. Ignatii Ep. M., *duplex.*
11. In PATRIARCATU HIEROSOLYMITANO: Dedicatio Ecclesiæ Concathedralis, *duplex 1 classis.* - *Comm.* Apparitionis B. M. V., *duplex majus.*
17. FUGÆ D. N. JESU C. in ÆGYPTUM, *duplex 2 classis.* - In ÆGYPTO, *duplex 1 classis.*
18. EMMAUS: s. Simeonis Ep. et M., Ecclesiæ Contitularis, *duplex 1 classis.* Extra Quadragesimam, *cum octava communi.* - *Comm.* bb. Rogerii, Odorici et Ægidii Cc. 1 Ord., *semiduplex.*
25. EMMAUS: Octava s. Simeonis Ep. et M., *duplex majus.* - *Comm.* b. Sebastiani de Apparicio C. 1 Ord., *duplex.*

Feria III post Dominicam Septuagesimæ: **Orationis D. N. Jesu C.**, *duplex 2 classis.* - In titulari Basilica Getsemani, *duplex 1 classis cum octava privilegiata III Ordinis.*

Feria III post Dominicam Sexagesimæ: **Flagellationis D. N. Jesu C.**, *duplex 2 classis.* - In titulari Ecclesia Sanctuarii, *duplex 1 classis cum octava privilegiata III Ordinis.* - In titulari Basilica Getsemani: *Commemoratio* Octavæ Orationis D. N. J. C., *duplex majus*

Feria III post Dominicam Quinquagesimæ: In Sanctuario Flagellationis, **Octava Flagellationis D. N. J. C.**, *duplex majus.*

MENSIS MARTIUS

5. BETHLEHEM: s. Eusebii Cremonensis Abb., *duplex 2 classis.* - *Comm.* s. Joannis Josephi a Cruce C. 1 Ord., *duplex majus.*
6. APUD CLARISSAS: s. Coletæ Virg. 2 Ord., *duplex 2 classis.*
15. AD SS. SEPULCRUM: s. Longini Militis Mart., *duplex majus.*
17. AD SS. SEPULCRUM: s. Josephi ab Arimathæa Conf., *duplex majus.* - *Comm.* s. Patricii Ep. Conf., *duplex.*
19. TRIPOLI in urbe, BERYTI, KNAIE, et ISMAILIÆ in CAIRO: s. Joseph Sponsi B. M. V., Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis.*
24. S. Gabrielis Arcangeli, *duplex 2 classis.* - NAZARETH et MUGEIDEL, Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis.*
25. NAZARETH, SYDONE et DAMANHUR: Annuntiationis B. M. V., Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis.*
26. AD SS. SEPULCRUM: s. Boni Latronis Conf., *duplex 2 classis.* - *Comm.* b. Didaci Josephi a Gadibus Conf. 1 Ord., *duplex.*

Feria VI post Dominicam Passionis: **Festum Dolorum B. M. V.**, *duplex 2 classis.* - CONSTANTINOPOLI: Ecclesiæ Titularis, *duplex 1 classis.*

Dominica Palmarum: BETHPHAGE, Titulum Sanctuarii.

Feria II infra Octavam Paschæ: EMMAUS, **Manifestationis Christi Resurgentis** in eodem Castello peractæ, *duplex 1 classis.*

MENSIS APRILIS

9. EMMAUS: s. Mariæ Cleophæ Viduæ, *duplex majus.* - *Comm.* b. Thomæ a Tolentino Conf. 1 Ord., *semiduplex.*
23. BOLACCI in CAIRO: s. Georgii Mart., Ecclesiæ Contitularis, *duplex 1 classis cum octava*

communi. - *Comm.* b. Ægidii Assisiensis Conf. 1 Ord., *semiduplex.*

25. In ÆGYPTO: s. Marci Evangelistæ, Patroni principalis, *duplex 1 classis cum octava communi.*

30. BOLACCI in CAIRO: Octava s. Georgii Mart., *duplex majus.* - *Comm.* s. Josephi Benedicti Cottolengo Conf. 3 Ord., *duplex majus,* s. Catharinæ Senensis Virg., *duplex,* et Octavæ s. Marci Ev., *semiduplex.*

Dominica II post Pascham, **Boni Pastoris**: JERICO, Ecclesiæ Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi.*

Dominica III post Pascham: JERICO, *Comm.* diei Octavæ Boni Pastoris, *duplex majus.*

MENSIS MAJUS

1. In PATRIARCATU HIEROSOLYMITANO: s. Jacobi Apostoli, Diœceseos Patriarchalis primi Episcopi et Patroni principalis, ac s. Philippi Apostoli, *duplex 1 classis.*

2. In ÆGYPTO: s. Athanasii Ep. et Conf. Doctoris, *duplex 2 classis.* - *Comm.* diei Octavæ s. Marci Ev., *duplex majus.*

3. HIEROSOLYMIS: Inventionis SS. Crucis, *duplex 1 classis.*

25. WASHINGTON: Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, *duplex 1 classis.* - *Comm.* s. Gregorii Pp. VII, *duplex.*

MENSIS JUNIUS

11. CYPRI in INSULA: s. Barnabæ Apostoli, Patroni principalis, *duplex 1 classis cum octava communi.*

13. S. ANTONII PATAVINI C. I ORD., Almæ Custodiæ T. S. Patroni principalis. - JOPPE, TYRI, SALAHIE DAMASCI et RAMLEH BACOS in ÆGYPTO, Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi.*

18. CYPRI in INSULA: Octava s. Barnabæ Ap., *duplex majus.* - *Comm.* s. Ephræm Conf. Doct., *duplex*, Octavæ s. Antonii Pat., *semiduplex*, et ss. Marci et Marcelliani Mm.,
20. Octava s. Antonii Patavini Conf. 1 Ord., *duplex majus.* - *Comm.* b. Michelinæ a Pisauro Vid. 3 Ord., *semiduplex*, et s. Silverii Pp. M.
25. In MONTANIS JUDÆÆ, et PTOLEMAIDE: s. Joannis Baptistæ, Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi.*
29. JOPPEN, HARISSÆ, et TIBERIADE: ss. Petri et Pauli Apostolorum, Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi.*

Feria V post Octavam Pentecostes: In S. MONTE SION, Festum **SS. Corporis Christi**, Titularis Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava priv. III ordinis.*

Feria VI post Octavam Corporis Christi: LAODICEÆ, IBRAIMIEH in ÆGYPTO, et apud CLARISSAS, **SS. Cordis Jesu**, Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava priv. III ordinis.*

MENSIS JULIUS

2. In MONTANIS JUDÆÆ: Visitationis B. M. V., Ecclesiæ Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi.*
9. id.: Octava Visitationis B. M. V., *duplex majus.* - *Comm.* ss. Nicolai et Socior. Mm. 1 Ordinis, *duplex majus.*
10. DAMASCI: bb. Emmanuelis Ruiz et Socior. Mm. 1 Ordinis, *duplex II classis.* - *Comm.* ss. Septem Fratrum Mm. Sociarumq. Vv. Mm., *semiduplex.*
14. ER RAM ALEPPI: s. Bonaventuræ Ep. Conf. Doct. 1 Ordinis, Titularis Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi.*
15. SS. SEPULCRI D. N. J. C.: *duplex 1 classis cum*

octava priv. III ordinis. - *Comm.* s. Henrici Conf., *semiduplex.*

16. BOLACCI in CAIRO: B. Mariæ V. de Monte Carmelo, Titularis Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi.* - *Comm.* Canonizationis S. P. N. Francisci, *duplex majus*, et Octavæ ss. Sepulcri, *semiduplex.*

20. In S. MONTE THABOR: Commemoratio s. Eliæ Prophetæ.

21. ER RAM ALEPPI: Octava s. Bonaventuræ Ep. Conf. Doct. 1 Ordinis, *duplex majus.* - *Comm.* b. Angelinæ a Marsciano Vid. 3 Ordinis, *duplex*, ac s. Praxedis Virg.

22. S. MARIÆ MAGDALENÆ PŒNITENTIS, *duplex 2 classis.* - AD SS. SEPULCRUM *Commemoratio inseparabilis* ss. Mulierum cum ipsa Magdalena in Mysterio Mortis, Sepulturæ, ac Resurrectionis Christi participum. - *Comm.* Diei Octavæ Ss. Sepulcri, *duplex majus*, et s. Laurentii a Brundusio Conf. 1 Ord., *duplex majus.*

23. BOLACCI in CAIRO: Octava B. M. V. de Monte Carmelo, *duplex majus.* - *Comm.* s. Apollinaris Ep. Mart., *duplex*, ac s. Liborii Ep. Conf.

29. S. MARTÆ VIRGINIS, *duplex.* - *Comm.* ss. Felicis II Pp. et Socior. Mm.

31. WASHINGTON: s. Ignatii Conf., Archidiœcesis Patroni principalis, *duplex 1 classis.*

MENSIS AUGUSTUS

3. ARIMATHÆÆ: s. Nicodemi Discipuli Domini, Titularis Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi.* - *Comm.* Inventionis s. Stephani protomartyris, *semiduplex.*

6. In SS. MONTE THABOR: Transfiguratio D. N. J. C., *duplex 1 classis cum octava privilegiata III ordinis.* - HIEROSOLYMIS, ad SS. SALVATOREM, Titulum Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi.*

10. ARIMATHÆÆ: In Officio s. Laurentii Mart., *duplex 2 classis*, commemoratio diei Octavæ s. Nicodemi, *duplex majus*.
13. In SS. MONTE THABOR et JERUSALEM ad SS. SALVATOREM: Octava Transfigurationis D. N. J. C., *duplex majus*. - *Comm.* bb. Joannis, Vincentii et Novelloni Confessor. 1 et 3 Ordinis, *semiduplex*, ac ss. Hippolyti et Cassiani Mm.
15. MOSKI in CAIRO et BAGHGIAGAZ: Assumptionis B. M. V., Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi*.

Dominica infra Octavam Assumptionis: In PATRIARCATU HIEROSOLYMITANO, **B. Mariae Virginis Reginae Palestinae,** Patronæ Diœcesis, *duplex 1 classis*. - *Comm.* Dominicæ, *semiduplex*.

17. CONSTANTINOPOLI: s. Rochi Conf. 3 Ordinis, *duplex 2 classis*. - *Comm.* s. Hyacinthi Conf., *duplex*, ac diei Octavæ s. Laurentii Mart.
18. S. HELENÆ IMPERATRICIS VIDUÆ, *duplex 2 classis*. - *Comm.* bb. Beatricis et Paulæ Vv. 2 Ordinis, *duplex*, et s. Agapiti Mart.
25. MANSURÆ: s. Ludovici Regis Conf. 3 Ordinis, Ecclesiæ Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi*.

MENSIS SEPTEMBER

1. MANSURÆ: Octava s. Ludovici Regis Conf. 3 Ordinis, *duplex majus*. - *Comm.* bb. Joannis et Petri Mm. 1 Ordinis, *semiduplex*, s. Ægidii Abbatis, ac ss. XII Fratrum Mm.
4. In Ss. MONTE THABOR: Commemoratio s. Moysi Legislatoris et Prophetæ.
14. EXALTATIONIS SS. CRUCIS, *duplex 2 classis*. - HIEROSOLYMIS, *duplex 1 classis*. - NICOSIÆ, Titularis Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi*.

21. NICOSIÆ: In Officio s. Matthæi Ap. et Ev., *duplex 2 classis*, commemoratio diei Octavæ Exaltationis Ss. Crucis, *duplex majus*.
25. EMMAUS: s. Cleophæ Discipuli Domini et Mart., Ecclesiæ Contitularis, *duplex 1 classis cum octava communi*. - *Comm.* b. Francisci Mariæ a Camporubeo Conf. 1 Ordinis, *duplex*.
28. BETHLEHEM: s. Eustochii Virginis, *duplex 2 classis*. - *Comm.* b. Bernardini a Feltria Conf. 1 Ordinis, *semiduplex*, ac s. Wenceslai Ducis Mart., *semiduplex*.
29. KASSAB: Dedicatio S. Michaëlis Archangeli, Ecclesiæ Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi*.
30. BETHLEHEM: s. Hieronymi Presb. Conf. Doct., *duplex 2 classis*.

MENSIS OCTOBER

1. DAMASCI: s. Ananiæ Discipuli Domini et Mart., *duplex 2 classis*. - *Comm.* ss. Joannis et Nicolai Confessor. 1 et 3 Ordinis, *semiduplex*, ac s. Remigii Ep. Conf.
2. EMMAUS: Octava s. Cleophæ Discipuli Domini et Mart., *duplex majus*. - *Comm.* ss. Angelorum Custodum, *duplex majus*.
3. S. THERESIÆ A JESU INFANTE VIRG., Missionum Patronæ, *duplex 1 classis*.
4. ALEPPI, TRIPOLI ad Mare, DAMIATÆ et ALEXANDRIÆ ad mare: S. P. N. Francisci Levitæ et Conf., Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi*.
6. KASSAB: Octava Dedicationis s. Michaëlis Arch., *duplex majus*. - *Comm.* s. Mariæ Franciscæ Virg. 3 Ord., *duplex majus*, s. Brunonis Conf., *duplex*, et Octavæ S. P. N. Francisci, *semiduplex*.
22. HIEROSOLYMIS, ad Ss. Salvatorem, GETHSEMANI, EMMAUS, et in SS. MONTE THABOR: Dedicatio Propriæ Ecclesiæ, *duplex 1 classis cum octava communi*.

MENSIS NOVEMBER

5. In MONTANIS JUDÆÆ: s. Zaccariæ Patris Præcursoris Domini, *duplex 2 classis. - Comm.* ss. Reliquiarum, *duplex majus.*
6. ibidem: s. Elisabeth Matris Præcursoris Domini, *duplex 2 classis. - Comm.* b. Margaritæ a Lotharingia Viduæ 2 Ordinis, *semiduplex.*
21. PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRG., *duplex 2 classis.*
25. ALEXANDRIÆ in ÆGYPTO: s. Catharinæ Virg. et Mart., Patronæ principalis Civitatis. - BETHLEHEM, ALEXANDRIÆ ad S. CATHERINAM, et LIMASSOL, Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi.*

MENSIS DECEMBER

2. BETHLEHEM, ALEXANDRIÆ, et LIMASSOL: Octava s. Catharinæ Virg. et Mart., *duplex majus. - Comm.* s. Bibianæ Virg. et Mart., *semiduplex.*
3. S. FRANCISCI XAVERII CONF., Missionum Patroni, *duplex 1 classis.*
5. HIEROSOLYMIS: b. Nicolai de Tavileis Mart. 1 Ordinis, *duplex majus. - IN TOTA CUSTODIA, duplex. - Comm.* s. Sabbæ Abbatis.
8. KAFR-EL-ZAYAT, JACUBIE, DEKHELA apud Alexandriam Ægypti: Immaculata Conceptio B. M. V., Ecclesiarum Titularis, *duplex 1 classis cum octava priv. III ordinis.*
13. ABUKIR in ÆGYPTO: s. Luciæ Virg. et Mart., Ecclesiæ Titularis, *duplex 1 classis cum octava communi.*
19. CONSTANTINOPOLI: Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, *duplex 1 classis.*

OFFICIA PROPRIA

Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam

IN PATRIARCHATU HIEROSOLYMITANO

SS. NOMINIS JESU

Titulum Ecclesiæ Concathedralis

Duplex 1 classis

Omnia ut in Breviario.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ

FESTUM SANCTÆ FAMILIÆ

Duplex 2 classis

NAZARETH : Titularis Ecclesiæ « Nutricionis » :

Duplex 1 classis cum Oct. communi.

Omnia ut in Breviario, et de Octava fit commemoratio quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus.

Item per Octavam finis Hymnorum Jesu, tuis obédiens, et ℣. proprius ad Primam.

Dominica II post Epiphaniam

NAZARETH

In Octava SS. FAMILIÆ

Fit officium de Dominica currenti, cum commemoratione Diei Octavæ.

Si hoc Festum celebratum fuerit extra Dom. tunc fit Officium de SS. Familia in die Octava: Antifonæ et Psalmi ab omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in die festo, præter Lectiones I Nocturni, quæ erunt de Scriptura occurrenti.

Dominica II post Epiphaniam

INITII SIGNORUM D. N. J. C. IN GALILÆA

Duplex 2 classis

CANA GALILÆÆ Sanctuarii Titularis
Duplex 1 classis cum Octava priv. 3 Ordinis

Totum Officium fit de Dominica II post Epiphaniam, ut in Psalterio et Proprium de Tempore, ritu tamen duplici.

Completorium de Dominica et ad Primam Psalmi ut in Festis.

De Octava fit comm. quotidie tam in Vesperis, quam in Laudibus, etiam Dominica sequenti, pro die Octava.

Die 15 Januarii

IN ÆGYPTO

S. PAULI PRIMI EREMITÆ C.

Duplex 2 classis

Omnia ut in Communi unius Conf. non Pont. et in Breviario, omissa in I Vesp. comm. S. Mauri Abb.

Completorium de Dominica.

Lectiones I Nocturni Beátus vir.

In II Vesperis comm. sequentis, ac S. Marcelli Pp. M.

Die 17 Januarii

MOHARREM BEY IN ÆGYPTO

S. ANTONII ABBATIS ET CONF.

Titularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Communi unius Conf. non Pont. et in Breviario, omissis commemorationibus in I Vesperis.

Completorium de Dominica.

Lectiones I Nocturni Beátus vir.

In II Vesperis fit commemoratio sequentis ac S. Pauli tantum.

De Octava fit comm. quotidie in Vesperis et Laudibus præter diem XXIII.

Die 23 Januarii

DESPONSATIONIS B. M. V.

Duplex 2 classis

Omnia ut in Breviario, sed in I Vesperis fit commemoratio S. Joseph et S. Raymundi C. tantum.

Die 24 Januarii

MOHARREM BEY IN ÆGYPTO

In Octava S. ANTONII ABB. et C.

Duplex majus

Ant. et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die; reliqua ut in Communi unius Conf. non Pont., præter sequentia.

In II Vesperis Desponsationis B. M. V. fit comm. s. Joseph, et diei Octavæ s. Antonii, ant. Similábo, ℣. Amávit.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Antónii Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Deinde s. Timothei E. M. ac s. Raymundi C., ut in Breviario.

Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 2 de S. Victore

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, qui inter contínua suæ pietátis benefícia indúlsit hóminem mundo, cujus multi salvaréntur exémplo. Íterum dico, gaudéte, quod factus de médio appropiávit Deo, ut multo plures ejus intercessióne salvéntur. In terris visus est, ut esset exémplo; in cælum elevátus est, ut sit patrocínio. Hic infórmat ad vitam, illic invítat ad glóriam. Factus est mediátor ad regnum, qui fuit incitátor ad opus. Bonus mediátor, qui sibi jam póstulans nihil, totum in nos transférre desíderat, et supplicántis afféctum, et supplicatiónis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullíus eget?

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et.

Lectio v

Hæc dies gloriósæ migratiónis ejus, dies lætítiæ cordis ejus, exsultémus, et lætémur in ea. Introívit in poténtias Dómini, gaudeámus: quia nunc poténtior est ad salvándum. Hódie Antónius pósito córpore, tanto alácrior, quanto expedítior penetrávit in sancta, símilis factus in glória Sanctórum. Hódie despécto mundo, et mundi príncipe triumpháto, supra mundum victor ascén-

dit, accípiens de manu Dómini corónam victóriæ. Ascéndit autem cum imménsa supelléctili meritórum, clarus triúmphis, miráculis gloriósus. Sedet veteránus miles, débita jam suavitáte et securitáte quiétus: secúrus quidem sibi, sed nostri sollícitus. O venerándam étiam ipsis Ángelis sanctitátem, quam pari stúdio, etsi díspari voluntáte, et mali fúgitant et frequéntant boni: nec fácile díxerim, quid virum ádstruat sanctiórem, horum favor, aut pavor illórum.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas Paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

O Miles emérite, qui christiánæ milítiæ duris labóribus angélicæ felicitátis réquiem commutásti: réspice ad imbélles, et imbecílles commilitónes tuos, qui inter hostíles gládios et spiritáles nequítias tuis láudibus occupámur. Quam pium, quam dulce, quam suáve, o sancte Antóni, in hoc loco afflictiónis et in hoc córpore mortis te cánere, te cólere, te precári! Nomen tuum et memoriále tuum, favus distíllans in lábiis captivórum, mel et lac sub língua eórum, qui tui memória delectántur. Eja ergo, fortis athléta, dulcis patróne, advocáte fidélis, exsúrge in adjutórium nobis, ut et nos de nostra ereptióne gaudeámus, et tu de plena victória gloriéris.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

℣. Iste est, qui con-

témpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi

Ex serm. de Confess.

Si istum Dómini sermónem secúndum lítteram velímus accípere, nihil in eo cómmodi spiritális póssumus invenire. Quid enim próficit ad ánimæ salútem, si áliquis corporáliter, aut lumbos præcíngat, aut lucérnam accéndat? In lumbis ítaque concupiscéntia carnális osténditur, in lucérnis vero fides, et cáritas christiána monstrátur. Júbens ígitur Dóminus lumbos nostros præcíngi, concupiscéntias carnis sine dúbio præcipit refrenári. Imperans autem, ut lucérnas ardéntes habeámus, hoc útique jubet, ut et lúmine veræ fídei splendeámus, et sanctæ caritátis opéribus ferveámus.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Ista, quæ de Evangélio proposúimus, cum prophéticis sermónibus conferámus. Utrúmque

enim testaméntum Deus instituit, unus Dóminus dedit. Etsi sunt utriúsque testaménti divérsa pro tempóribus sacraménta, concórdat tamen in utróque salútis humánæ senténtia, qua præcípitur ut non peccémus, et jubétur ut bonis opéribus insistámus. Per Isaíam Dóminus omnes his ádmonet verbis: Auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis, quiéscite pervérse ágere, díscite benefácere. Quid est enim: Sint lumbi vestri præcíncti, nisi quiéscite ágere pervérse? Quid est: Sint lucérnæ ardéntes, nisi díscite benefácere?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. Glória Patri. - Et vos.

Lectio ix

Pro s. Timotheo Ep. et Martyre

Timótheus, Lystris in Lycaónia natus ex patre gentíli et matre judæa, christiánam colébat religiónem, cum in ea loca venit Apóstolus Páulus. Qui fama commótus, quæ de Timóthei sanctitáte percrebúerat, ipsum adhíbuit sócium suæ peregrinatiónis; sed propter Judæos, qui se ad Christum convérterant, sciéntes Timóthei patrem esse gentílem, eum circumcídit. Cum ígitur ambo Éphesum veníssent, ibi ordinátus est Epíscopus ab Apóstolo, ut eam Ecclésiam gubernáret. Ad quem Apóstolus duas epístolas scripsit, álteram Laodicéa, álteram Roma. Quibus in pastorális offícii cura confir-

mátus, cum sacrifícium, quod uni Deo debétur, fíeri dæmonum simulácris, ferre non posset; p ó p u l u m Ephesínum, Diánæ in ejus celebritáte immolántem, ab illa impietáte removére conátus, lapídibus óbrutus est: ac pene mórtuus, a christiánis eréptus, et in montem óppido vicínum delátus, nono Kaléndas Februárii obdormívit in Dómino.

Te Deum laudámus.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Antónii Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio s. Timothei Ep. Martyris.

In II Vesperis comm. sequentis, s. Petri ac s. Timothei.

Die 25 Januarii

DAMASCI

CONVERSIONIS S. PAULI APOSTOLI

Titularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario, sed in I Vesperis fit tantum comm. s. Petri Apostoli.

In II Vesperis fit commemoratio s. Petri ac sequentis.

De Octava fit comm. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus.

Die 26 Januarii

BETHLEHEM

S. PAULÆ ROMANÆ VIDUÆ

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius non Virginum, præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio

Deus, qui beátam Páulam fámulam tuam, spretis mundi delíciis, post insígnia virtútum increménta, ibi voluísti nasci cælo, ubi Unigénitus tuus natus est mundo: concéde propítius; ut ejus exémplo terréna cuncta despiciéntes, cæléstia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. præcedentis, s. Petri et s. Polycarpi Ep. et Mart.

Completorium de Dominica.

Lectiones I Nocturni

Muliérem fortem.

In II Nocturno

Lectio iv

Ex Epístola sancti HierónymiPresbýteri ad Eustóchium Vírginem.

Páula, matróna Romána e nobílissimo Senatórum génere, sed vitæ sanctitáte multo nobílior, mórtuo Toxótio paris nobilitátis viro, cui quínque líberos edíderat, totam se ad Dóminum convértit, et copiósas cœpit divítias in Christi páuperes tanto afféctu erogáre, ut eos tota Urbe perquíreret, et damnum putáret, (ut

de ea sanctus Hierónymus scribit) si quísquam débilis, et esúriens cibo sustentarétur altérius: quo in stúdio usque ad mortem persevérans, dicébat intérdum se id voti habére, ut mendícans morerétur: et in suo fúnere aliéna síndone involverétur. Cum autem ob quasdam Ecclesiárum dissensiónes, Oriéntis et Occidéntis Epíscopi Romam, sancto Dámaso Pontífice, conveníssent, sanctum Epiphánium Salamínæ Cypri Epíscopum hospítio excépit, et Paulínum Antiochíæ ómnibus charitátis offíciis cólere stúduit, quórum accénsa virtútibus, pátriam desérere, et ad erémum pérgere cogitábat. Quare Urbis frequéntiam, et ora laudántium fúgere festínans, et párvulam Béthlehem Romæ præférre volens, tandem ad Portum Románum navigatúra descéndit, fratre, propínquis, ac líberis prosequéntibus, et piam matrem matérna caritáte retinére cupiéntibus. Illa vero, quamvis víscera ejus dolóre torqueréntur, siccos ad cælum tendébat óculos, et pietátem in fílios pietáte in Deum súperans, nesciébat se matrem, ut Christi probáret ancíllam.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam; Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Navi ígitur conscénsa cum Eustóchio fília, quæ propósiti, et navigatiónis ejus comes erat, Hierosólymam, et sancta loca incredíbili ardóre vidére cupiébat. Quare cum Cyprum primum, deinde Seleucíam appulísset, in Sýriam, et Palæstínam venit: cujus

cuncta sacra monuménta tanto stúdio, ac pietáte circumívit, ut nisi ad réliqua festináret, a primis non posset abdúci. Dénique Béthlehem súbstitit mansúra perpétuo: ubi structis quátuor monastériis, uno Virórum, quod sanctus Hierónymus gubernatúrus suscépit, aliis Vírginum, réliquum vitæ iter admirábili sanctitáte confécit. Humilitátis virtus in ea máxime enítuit; nihil ea cleméntius, nihil erga húmiles blándius fuit. Invidórum calúmnias, et sæculi várias tentatiónes summa patiéntia, et mansuetúdine tolerávit. Tarda erat ad loquéndum, et velox ad audiéndum. Sanctas Scriptúras tenébat memóriter, et vetus, ac novum Testaméntum assídue perlegébat. Hebræam línguam díscere vóluit, et consecúta est ita, ut Psalmos Hebráice cáneret: et sermónem illum, quasi natívum, personáret. Super duríssimam humum, stratis cilicíolis, quiescébat, si tamen quies dicénda est, quæ júgibus pæne oratiónibus dies, noctésque jungébat. Móllia, étiam in gravíssima febre, léctuli strata non hábuit. Tantæ autem abstinéntiæ fuit, ut prope mensúram excéderet, et debilitátem córporis nímiis jejúniis, ac labóre contráheret: exceptísque diébus festis, vix óleum in cibo cáperet. Neque addúci ullo modo pótuit, ut ad vires córporis reficiéndas vino uterétur. Ægrotántes miris obséquiis, ac ministériis confovébat: cumque áliis languéntibus large præbéret ómnia, si quando ipsa ægrotásset, sibi non indulgébat, et in eo inæquális videbátur, quod in áliis cleméntiam, in se durítiam commutábat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus,

Deus tuus, oleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Tandem cum in gravíssimum morbum incidísset, ac mortem adésse sentíret, et frigescénte ália parte córporis ánimæ tepórem in solo péctore palpitáret, quasi ad suos pérgeret, alienósque deséreret, illos versículos usque ad exspiratiónem ánimæ repetébat: Dómine, diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ; Et: Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini; dígitum ad os tenens, Crucis signum pingens in lábiis, sanctíssimam ánimam Deo réddidit séptimo Kaléndas Februárias, ætátis suæ anno quinquagésimo sexto. Translatáque Episcopórum mánibus in Ecclésiam Spelúncæ Salvatóris, ad funus ejus Palæstínæ Úrbium turba concurrénte, monachórum, vírginum, viduárum, et páuperum, qui ad exémplum Tabíthæ, vestes ab ea contéxtas ostendébant, tríduo post sub Ecclésiam, juxta specum Dómini, cóndita est.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur.

℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et láudent eam in portis ópera ejus. - Múlier. Glória. - Múlier.

In III Nocturno Homilia in Evangelium: Símile est regnum cælórum thesáuro etc. de Communi unius non Virginis.

Pro lectione ix de s. Polycarpo dicitur ea quæ in Breviario ut iv habetur.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui beátam Páulam fámulam tuam, spretis mundi delíciis, post insígnia virtútum increménta, ibi voluísti nasci cælo, ubi Unigénitus tuus natus est mundo: concéde propítius; ut, ejus exémplo terréna cuncta despiciéntes, cæléstia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. s. Polycarpi E. M.: Ant. Qui odit, ℣. Justus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Polycárpi Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

Ad Horas Pss. ut in Festis.

In II Vesperis fit commemoratio sequentis et s. Polycarpi.

Completorium de Dominica.

Die 27 Januarii

CONSTANTINOPOLI

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI E. C. D.

Titularis Ecclesiæ Cathedralis

Duplex 1 classis

Omnia ut in Communi unius Confess. Pont. et in Breviario, omissa in I Vesperis comm. præcedentis festi.

Lectiones I Noct. Sapiéntiam, ut in Communi Doctoris.

In II Vesperis commemoratio sequentis tantum.

Die 1 Februarii

DAMASCI

In Octava CONVERSIONIS S. PAULI Apostoli

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die; reliqua ut in die festo, præter Lectiones, ut infra.

In I Vesperis fit comm. s. Petri, postea præcedentis, bb. Eustochii et Veridianæ VV., s. Ignatii E. M., et s. Joannis Bosco Conf. (duplex).

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

De ferendis reprehensionibus

Sáulus autem adhuc spirans minas, et cædem in discípulos Dómini. Atqui in epístolis Páulus vocátur: quare ergo nomen mutávit Spíritus sanctus? Quemádmodum dóminus, qui servum mercátus est, osténdere volens se dóminum servi, nomen illíus immútat; ita et Spíritus sanctus fecit, ubi Páulum captívum accépit: vocábulum ejus mutávit, ut étiam inde dísceret Páulus, se habére Dóminum. Nóminum enim imposítio domínii signum est, et præcípuum. Volens enim Dóminus docére Adámum,

quod eum príncipem et dóminum ómnium fecísset, addúxit ad eum ómnia animália, ut vidéret quid vocáret ea.

℟. Tu es vas electiónis, sancte Páule Apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo: * Per quem omnes Gentes cognovérunt grátiam Dei.

℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit. - Per quem.

Lectio v

Verum quam ob cáusam Spíritus sanctus non statim mutávit nomen Páuli, sed exspectávit ad tantum tempus? Si statim convérso Páulo mutátum fuísset et nomen ejus, tunc minus manifésta fuísset ejus convérsio, et ad fidem translátio. Nam sicut in fámulis usu veníre solet, quod obscúri fiant, si quam primum fugam iniérunt, sua nómina mutárint; ita et in Páulo contigísset, si mox ut relíctis Judæis ad nos venit, aliud nomen sortítus fuísset: nemo enim scivísset, quod persecútor ille esset Evangelísta. Hinc enim omnes discébant, quod ille ipse esset, qui prius fúerat Ecclésiam persecútus.

℟. Grátia Dei sum id quod sum. * Et grátia ejus in me vácua non fuit, sed semper in me manet.

℣. Qui operátus est Petro in Apostolátum, operátus est et mihi inter Gentes. - Et.

Lectio vi

Aggrediúntur hic nos quidam dicéntes: Et quid mirum, quod Páulus ad fidem pervénit, cum Deus vocem illam, quasi funem cervíci ejus injécerit, vique ipsum ad se dúxerit? Atténdite diligénter. Qualis illa vis et necéssitas, dic, o homo? Vocávit eum supérne. Credis omníno quod vocávit eum supérne? Igitur et te hó-

die vocat per illam vocem, cur et tu non óbedis? Vides non esse necessitátis negótium? Nam si necéssitas quædam foret, oportébat et te obedíre: cum áutem et tu non óbedis, manifestum quod ille voluntárius obedívit. Multum quidem fecit ad salútem Páuli vocátio: non tamen destituit eum a suis opéribus, et super própriæ voluntátis láude; neque nócuit ejus líbero arbítrio, sed voluntárius advénit ipse, atque sua bona voluntáte.

℟. Sáulus, qui et Páulus, magnus prædicátor, * A Deo confortátus convalescébat, et confundébat Judæos.

℣. Osténdens quia hic est Christus Fílius Dei. - A Deo. Glória Patri. - A Deo.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Ecce nos, de Comm. Abbatum 1 loco: Grandis fidúcia! Nona lectio de bb. Eustochio et Veridiana.

Ad Laudes fit comm. s. Petri Ap., bb. VV. ac s. Ignatii.

Vesperæ sequentis, comm. præc., s. Petri Ap., bb. VV. et s. Ignatii.

Die 11 Februarii

In Patriarchatu Hierosolymitano

DEDICATIO ECCLESIÆ CONCATHEDRALIS

Duplex 1 classis

Omnia ut in Comm. Dedicationis Ecclesiæ. Commemoratio, in Laudibus tantum, Apparitionis B. M. V., ut in Breviario.

In II Vesperis commemoratio sequentis.

Die 17 Februarii

FUGÆ DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

in Ægyptum

Duplex 2 classis

IN ÆGYPTO duplex 1 classis

In I Vesperis

Antiphonæ de Laudibus, Psalmi ut in Communi Festorum B. Mariæ Virginis.

Capit. Is. 19, 1

Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, et ingrediétur Ægýptum, et commovebúntur simulácra Ægýpti a fácie ejus, et cor Ægýpti tabéscet in médio ejus.

Hymnus

Regem treméndæ glóriæ,
De stirpe promíssum Ábrahæ,
Venísse Reges índicant,
Natúmque Regi núntiant.

Tyránnus ira flúctuat:
Morti puéllum déstinat:
Sed Virgo Mater, célitus
Edócta, ferro subtráhit.

Deférre Natum ad éxteras
Festínat Ægýpti plagas,
Nec jam quiéscit, Fílium
Quoúsque tutum cónspicit.

At tu, Parens fortíssima,
Quæ sancto amóre sáucia,
Advérsa quæque déspicis,
Fugéque damna sústines.

Tuis adésto sérvulis,
Rebus quibúsque in árduis,
Quos culpa fecit éxsules,
Redíre fac in pátriam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Sic terminantur Hymni per omnes Horas.

℣. Accépit Joseph Púerum, et Matrem ejus nocte.

℟. Et secéssit in Ægýptum.

Ad Magnif. Ant. Ecce Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus et fuge in Ægýptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi: Futúrum est enim, ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum.

Oratio

Protéctor in te sperántium, Deus, qui Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ex Heródis gládio fuga in Ægýptum erípere voluísti; concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine ejus Matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis et córporis perículis liberáti, ad cæléstem pátriam perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. b. Lucæ Belludi C. I O. et Feriæ in Quadragesima.

Completorium de Dominica.

Ad Matutinum

Invit. Salvatórem Dóminum nostrum Jesum Christum fugiéntem ad Ægýptum; * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus Regem, ut in Vesp.

In I Nocturno

Ant. Accépit Joseph Púerum et Matrem ejus

nocte, et secéssit in Ægýptum.

Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti láudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum páulo minus ab Ángelis, glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ómnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Accépit Joseph Púerum et Matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum.

Ant. Erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quórum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus

procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio ejus:

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus: * nec est qui se abscóndat a calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum; illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Étenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * et redémptor meus.

Ant. Erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Ant. Fuit Dóminus cum Joseph in Ægýpto.

Psalmus 23

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et

mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens: Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Fuit Dóminus cum Joseph in Ægýpto.

℣. Ex Ægýpto.

℟. Vocávi Fílium meum.

Lectio i

De Osée Prophéta

Cap. 11

Sicut mane tránsiit, pertránsit Rex Israël. Quia puer Israël, et diléxi eum; et ex Ægýpto vocávi fílium meum. Vocavérunt eos, sic abiérunt a fácie eórum: Báalim immolábant, et simulácris sacrificábant. Et ego quasi nutrícius Éphraim portábam eos in bráchiis meis et nesciérunt quod curárem eos. In funículis Adam traham eos in vínculis caritátis, et ero eis quasi exáltans, jugum super maxíllas eórum, et declinávi ad eum, ut vescerétur. Non revertétur in terram Ægýpti, et Assur ipse Rex ejus: quóniam noluérunt convérti. Cœpit gládius in civitátibus ejus et consúmet eléctos ejus, et cómedet cápita eórum. Et pópulus meus pendébit ad réditum meum: jugum autem imponétur

eis simul, quod non auferétur.

℟. Dicit Dóminus: descénde in Ægýptum, ego descéndam tecum illuc, * Et ego inde addúcam te reverténtem.

℣. Surgens Joseph accépit Púerum, et Matrem ejus nocte. - Et ego.

Lectio ii

De Isaía Prophéta

Cap. 19

Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, et ingrediétur Ægýptum, et commovebúntur simulácra Ægýpti a fácie ejus, et cor Ægýpti tabéscet in médio ejus. Et concúrrere fáciam Ægýptios advérsus Ægýptios, et pugnábit vir contra fratrem suum, et vir contra amícum suum, cívitas advérsus civitátem, regnum advérsus regnum. Et dirumpétur spíritus Ægýpti in viscéribus ejus, et consílium ejus præcipitábo, et interrogábunt simulácra sua, et divínos suos, et pythónes, et aríolos. Et tradam Ægýptum in manu dominórum crudélium, et Rex fortis dominábitur eórum, ait Dóminus Deus exercítuum.

℟. Rex noster advénit Christus: * Quem Joánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

℣. Super Ipsum continébunt reges os suum, Ipsum gentes deprecabúntur. - Quem.

Lectio iii

In die illa erit altáre Dómini in médio terræ Ægýpti, et títulus Dómini juxta términum ejus. Et erit in signum, et in testimónium Dómino exercítuum in terra Ægýpti. Clamábunt enim ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis Salvatórem, et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dómi-

num in die illa, et colent eum in hóstiis, et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam, et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos. In die illa erit via de Ægýpto in Assýrios, et intrábit Assýrius Ægýptum, et Ægýptus in Assýrios, et sérvient Ægýptii Assur. In die illa erit Ísraël tértius Ægýptio, et Assýrio: benedíctio in médio terræ, cui benedíxit Dóminus exercítuum, dicens: Benedíctus pópulus meus Ægýpti.

℟. Ecce ab Áustro vénio ego Dóminus Deus vester: * Visitáre vos in pace.

℣. Aspíciam vos, et créscere fáciam, multiplicabímini, et firmábo pactum meum vobíscum. - Visitáre. Glória Patri. - Visitáre.

In II Nocturno

Ant. Heródes, videns quóniam illúsus esset a Magis, irátus est valde.

Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime.

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, prospére procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis : * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto : * circúmdata varietáte.

Áudi, fília, et vide, et inclína aurem tuam : * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum : * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur : omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam ; * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne : * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum : * et in sæculum sæculi.

Ant. Heródes, videns quóniam illúsus esset a Magis, irátus est valde.

Ant. Mittens Heródes occídit omnes púeros, qui erant in Béthlehem, et in ómnibus fínibus ejus.

Psalmus 45

Deus noster refúgium, et virtus : adjútor in tribulatiónibus, quæ in-

venérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt áquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt Gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confringet arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Mittens Heródes occídit omnes púeros, qui erant in Béthlehem, et in ómnibus fínibus ejus.

Ant. A bimátu et infra occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

Psalmus 86

Fundaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Ætíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. A bimátu et infra occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

℣. Vox in Rama audíta est.

℟. Plorátus, et ululátus multus.

Lectio iv

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 8 in Matth.

Cur in Ægýptum Puer míttitur? causam in primis prótulit Evangelísta, dicens: ut implerétur illud: Ex Ægýpto vocávi Fílium meum; simúlque bonæ spei proæmia toti orbi prænuntiabántur. Quia enim Bábylon, et Ægýptus, plus quam réliquus orbis, impietáts ardébant flamma, ab exórdio declárans, se ambas illas regiónes emendatúrum, et ad melióra deductúrum, simúlque per hæc índicans étiam toti terrárum orbi bona exspectánda esse, et Magos misit, et Ipse cum Matre sua proféctus est. Ad hæc vero áliud étiam inde docémur, quod non parum nos ad philosophíam íncidet. Quodnam illud? Quod ab ipso inítio tentatiónes, et perícula sint exspectánda. Vide nunquam id Ipsi ab incunábulis accidísse. Nam illo nato furit tyránnus; hinc fuga, et transmigrátio in exsílii locum, et insons Mater in barbarórum regiónem se próripit.

℟. Ægýpte, noli flere, quia Dominátor tuus véniet tibi, ante cujus conspéctum movebúntur abýssi: * Liberáre pópulum suum de manu poténtiæ.

℣. Ecce véniet Dóminus exercítuum, Deus tuus, cum potestáte magna. - Liberáre.

Lectio v

Hoc exémplo fultus fórtiter feras, gnarus hanc cum primis esse spirituálium virórum sortem, ut ubíque tentatiónibus impetántur. Animadvérte ígitur, id non solum Púeri Matri accídere, sed étiam bárbaris illis; nam et illi clam discédunt quasi fugitívi, et hæc, quæ numquam e domo egréssa fúerat, tam longum et ærumnósum iter suscípere jubétur, ob mirábilem hunc éditum Púerum, et spirituálem partum. Rem íterum stupéndam considera: Palæstína insidiátur, Ægýptus vero éxcipit, et servat insídiis impedítum. Neque enim tantum in fíliis Patriárchæ, sed étiam in Dómino, typi et figúræ contigérunt. Per ea enim, quæ ab ipso gesta sunt, multa prænuntiabántur eórum, quæ póstea eventúra erant: quod, et in ásina et pullo factum est. Ángelus ígitur. qui appáruit, non Maríam, sed Joséphum allóquitur: et quid dicit? Surge, áccipe Púerum, et Matrem ejus. Hic non ultra dicit: Cónjugem tuam, sed: Matrem ejus. Quia enim partus cóntigit, suspício solúta est, et viro fides facta est, líbere jam lóquitur Ángelus, neque fílium, neque Cónjugem ejus dicens, sed Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum, fugæque causam addit: Futúrum est enim, inquit, ut Heródes quærat ánimam Púeri.

℟. Cognoscétur Dóminus ab Ægýpto: * Et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa.

℣. Clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis Salvatórem. - Et.

Lectio vi

Hoc vero Vírginem ipsam non mediócriter clarum éfficit et illústrem; nam quod to-

tus pópulus encómii loco habébat, hoc ipsum habére pótuit et ipsa. Quod enim altum sapiébant, et sese jactábant ob réditum ex Ægýpto, id, quod subíndicans Prophéta dicébat: Nonne alienígenas addúxi de Cappadócia, et Assýrios ex fóvea? illud ipsum prærogatívam Vírginis facit. Immo vero et pópulus, et Patriárcha descendéntes et ascendéntes inde, istíus ascénsus, seu réditus typum implébant: nam illi descendérunt, ut mortem ex fame imminéntem effúgerent; hic vero, ut vitáret mortem insídiis parátam. At illi eo veniéntes ex fame tunc liberáti sunt; ille vero, ut eo descéndit, regiónem totam per advéntum suum sanctificávit. Consíderes ítaque velim, quómodo inter humília, quæ ad Divinitátem pértinent, reveléntur. Étenim cum dixit Ángelus: Fuge in Ægýptum, non promísit se itíneris cómitem futúrum, vel descendéntibus, vel redeúntibus, subíndicans illos magnum habére cómitem recens natum Púerum, qui statim, atque appáruit, ómnia mutávit.

℟. Sancta, et Immaculáta Virgínitas, quibus te láudibus ésferam néscio; * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio Ægýptum contulísti.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. - Quia. Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Ant. Defúncto autem Heróde, ecce Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto.

Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nóminis ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Étenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur: * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra: commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Defúncto autem Heróde, ecce Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto.

Ant. Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et vade in terram Ísraël.

Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu ejus: * justítia,

et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli justítiam ejus: * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Ángeli ejus: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

Ant. Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israël.

Ant. Defúncti sunt, qui quærébant ánimam Púeri.

Psalmus 97

Cantáte Dómino cánticum novum: * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus: * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini: * moveátur mare, et plenitúdo ejus: orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina pláudent manu, simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Defúncti sunt, qui quærébant ánimam Púeri.

℣. Consúrgens Joseph accépit Púerum, et Matrem ejus.

℟. Et venit in terram Israël.

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cap. 2, 13-18

In illo témpore: Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Chrysólogi

Serm. 151 de Fuga Christi in Ægyptum

Hodiérna léctio movit corda, concússit víscera, stupére fecit audítum. Ecce, inquit, Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Cui nascénti virgínitas non resístit, non óbviat ratio, contradícit natúra: potéstas quæ, quævis, quod discrímen prævaléret, ut compellerétur ad fugam? Áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Reveréntius díceret: vade in Ægýptum, ut es-

set proféctio, non fuga: volúntas, non necéssitas; judícium, non metus, humánum saltem, si non divínum. At nunc mandátur per Ángelum, ut videátur cælum timor ante tenuísse, quam terram.

℟. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: * Ipsum Regem Angelórum éxsulem virgo lactábat úbere de cælo pleno.

℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum verbo concépit fílium. - Ipsum.

Lectio viii

Accipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. In Ægýptum fuge, a tuis ad extráneos, ad sacrílegos a Sanctis, a templo tuo ad dæmonum fana, ad idolórum pátriam e regióne Sanctórum. Sic Judææ non súfficit latitúdo, sic angustátur sæculi diffúsa posséssio, non capit secrétum templi. Sacerdótum turba non súscipit, non abscóndit numerósitas investigábilis cognatórum, ut ad Deitátis látebras profána Ægýptus conducátur, sic res urget, sic non vacat intuéri verecúndiam Vírginis, labórem matris, sexus pudórem, perículum in Joseph, longinquitátis fatigatiónem, exítium totíus domus.

℟. Et nunc quid tibi est in via Ægýpti? * Revértere Virgo Israël ad civitátes tuas.

℣. Úsquequo dolens avérteris? - Revértere. Glória Patri. - Revértere.

Lectio ix

In Quadragesima de Homilia Feriæ, alias pro b. Luca Belludi.

In Ægypto, extra Quadragesimam, dicitur sequens

Lectio ix

Fratres, quod fugit Christus, fuit mystérii, non timóris: fuit liberátio, non perículum Creatóris: Divínæ virtútis fuit, non fragilitátis humánæ, non fugit propter actóris mortem, sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori vénerat, quare fúgeret mortem? Christus totam causam nostræ salútis occíderet si se párvulum permisísset occídi. Christus vénerat, ut quos præcéptis docúerat, firmáret exémplis, et ipse fáceret, quæ faciénda mandáverat, et visu probáret possibília, quæ impossibília videbántur audítu. Vénerat, ut mundo notítiam suæ Deitátis infúnderet, et humáni géneris ignorántiam auférret. Ómnia hæc útique periíssent nobis, si Christus, cum esset in cunábulis, non fugísset.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1. Ecce Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph.

Pss. de Dominica.

2. Surge, et áccipe Púerum et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum.

3. Esto ibi, usque dum dicam tibi.

4. Futúrum est, ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum.

5. Consúrgens Joseph, accépit Púerum et Matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum.

Capit. Is. 19, 1

Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem, et ingrediétur Ægýptum, et commovebúntur simulácra Ægýpti a fácie ejus, et cor Ægýpti tabéscet in médio ejus.

Hymnus

Veri tonántis Únicum
Enses cavéntem pérfidos,
Cultu relícto Núminum,
Ægýpte præsta sóspitem.

Heródis hunc immánitas
Abíre cogit éxsulem:
Sed dura nos Christi fuga
Iter salútis édocet.

Virgo, parens dulcíssima,
Quæ mite per perícula,
Dulce feréndo párvulum:
Invícta cursum cónficis.

Fac nos solútis vínculis,
Quæ tendit astus dæmonis,
Per plana, et per áspera
Nostrum sequámur Príncipem.

Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Gaude, et lætare, Ægýpte.
℟. Quia in médio tui sanctus Israël.

Ad Benedictus Ant.

Defúncto Heróde, ecce Ángelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens: Surge et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam Púeri.

Oratio

Protéctor in te sperántium, Deus, qui Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ex Heródis gládio fuga in Ægýptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine ejus matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis, et córporis perículis liberáti, ad cæléstem pátriam perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. b. Lucæ.

Ant. Euge serve bone et fidélis.

℣. Justum dedúxit.

℟. Et osténdit illi...

Oratio

Deus, qui sancto António, Confessóri tuo, beátum Lucam et sócium et imitatórem exímium adjunxísti: da nobis utriúsque intervéntu, ambórum ita sequi vestígia, ut assequámur et præmia. Per Dóminum.

Deinde comm. Feriæ in Quadragesima.

Ad Horas Pss. ut in Festis.

Ad Tertiam

Capitulum Ecce Dóminus, ut supra.

℟. br. Dóminus * Tamquam sponsus. - Dóminus. ℣. Procédens de thálamo suo. - Tamquam. Glória. - Dóminus.

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo.

℟. Véniet, ut salvet pópulum suum.

Ad Sextam

Capit. Ezech. 30, 13

Hæc dicit Dóminus Deus: dispérgam simulácra, et cessáre fáciam idóla de Memphis; et dux de terra Ægýpti non erit ámplius, et dabo terrórem Ægýpti.

℟. br. Egrediétur Dóminus * De loco sancto suo. - Egrediétur. ℣. Véniet ut salvet pópulum suum. - De loco. Glória. - Egrediétur.

℣. Vidérunt omnes fines terræ.

℟. Salutáre Dei nostri.

Ad Nonam

Capit. Isaiæ 16, 3

Ini consílium, coge concílium: pone quasi noctem umbram tuam in merídie, abscónde fugiéntes, et vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei: esto latíbulum eórum a fácie vastatóris.

℟. br. Vidérunt * Omnes fines terræ. - Vidérunt. ℣. Salutáre Dei nostri. - Omnes. Glória. - Vidérunt.

℣. Verbum caro factum est.

℟. Et habitávit in nobis.

In II Vesperis

Omnia ut in primis, præter sequentia:

Ad Magnificat, Ant. Áudiens Joseph, quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire, et admónitus in somnis, secéssit in partes Galiléæ, et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth; ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam: quóniam Nazaræus vocábitur.

EXTRA ÆGYPTUM fit commemoratio b. Lucæ et Feriæ in Quadragesima.

IN ÆGYPTO autem fit tantum commemoratio Feriæ in Quadragesima.

Completorium de Dominica.

Die 18 Februarii

EMMAUS

S. SIMEONIS EP. ET MARTYRIS

Contitularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis

(extra Quadragesimam, cum Octava communi)

Omnia ut in Communi unius Martyris Pont. præter sequentia.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui a mórtuis ex-

súrgens, beáto Simeóni Scriptúras omnes, quæ de teípso erant, in via declarásti: da nobis, ejus intercessióne; ut illuminátis per te óculis cordis nostri, in rerum cæléstium doctrína et amóre proficiámus. Qui vivis et regnas.

Et fit tantum comm. præc. festi Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum, Ant. Audiens ut supra.

℣. Accépit Joseph Púerum, et Matrem ejus nocte.

℟. Et secéssit in Ægýptum.

Oratio ut supra.

Completorium de Dominica.

In I Nocturno

Lectiones A Miléto, ut in Comm. unius Mart. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Símeon, fílius Cléophæ, post Jacóbum próximus Jerosólymis ordinátus Episcopus, Trajáno Imperatóre apud Átticum consulárem est accusátus quod christiánus esset, et Christi propínquus. Comprehendebántur enim omnes eo témpore, quicúmque ex génere David orti essent; quáre multis cruciátus torméntis, eódem passiónis génere quod Salvátor noster subíerat, affícitur, mirántibus ómnibus, quod homo ætáte conféctus (erat enim centum et vigínti annórum) acerbíssimos crucis dolóres fórtiter constantérque paterétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. - Et dedit illi claritátem ætérnam.

Lectio v

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 160

Quærámus, si póssumus, non quod in cor nostrum possit ascéndere, sed quo cor nostrum mereátur ascéndere. Merébitur enim in regnánte glorificári, qui didícerit in Crucifíxo gloriári. Unde videns ipse Apóstolus, non solum quo ascéndat, sed étiam qua ascéndat, - multi enim vidérunt quo, nec vidérunt qua; amavérunt celsitúdinis pátriam, sed ignoravérunt humilitátis viam, - sciens ergo Apóstolus, et cógitans et præméditans, non solum quo, sed etiam qua: Mihi, inquit, absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. Póterat dícere: in sapiéntia Dómini nostri Jesu Christi, et verum díceret; póterat: in majestáte, et verum díceret; póterat: in potestáte, et verum díceret; sed díxerat: in cruce.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus, non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Et.

Lectio vi

Ubi mundi philósophus erúbuit, ibi thesáurum Apóstolus réperit; non contemnéndo vile invólucrum pervénit ad pretiósum involútum. Absit, inquit, mihi gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi. Bonam sárcinam sustulísti, ibi totum est quod quæsísti; et, quid ibi magnum latéret, ostendísti. Quale adjutórium? Per quem mihi, inquit, mundus crucifíxus est, et ego mundo. Quando tibi

crucifigerétur mundus, nisi pro te crucifigerétur, per quem factus est mundus? Ergo, qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Quo dómino? Christo Crucifíxo. Ubi humílitas, ibi majéstas; ubi infírmitas, ibi potéstas; ubi mors, ibi vita. Si vis ad illam perveníre, noli ista contémnere.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus; et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. - Et. Glória. - Et.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 24, b.

In illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Émmaus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 23 in Evang.

Audístis, fratres carissimi, quia duóbus Discípulis ambulántibus in via, non quidem credéntibus, sed tamen de se loquéntibus, Dóminus appáruit: sed eis spéciem, quam recognóscerent, non osténdit. Hoc ergo egit foris Dóminus in óculis córporis, quod apud ipsos agebátur intus in óculis cordis. Ipsi namque apud semetípsos intus et amábant, et dubitábant: eis autem Dóminus foris et præsens áderat, et quis esset non ostendébat. De se ergo loquéntibus præséntiam exhíbuit: sed de se dubitántibus cognitiónis suæ spéciem abscóndit.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis,

glória honóris, et opus fortitúdinis.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Expréssa.

Lectio viii

Verba quidem cóntulit, durítiam intelléctus increpávit, sacræ Scriptúræ mystéria, quæ de seípso erant, apéruit: et tamen, quia adhuc in eórum córdibus peregrínus erat a fide, se ire lóngius finxit. Fíngere namque, compónere dícimus: unde et compositóres luti, fígulos vocámus. Nihil ergo simplex Véritas per duplicitátem fecit: sed talem se eis exhíbuit in córpore, qualis apud illos erat in mente. Probándi autem erant, si hi, qui eum etsi necdum ut Deum dilígerent, saltem ut peregrínum amáre potuíssent.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas et osténdit illi regnum Dei. - Qui Glória. - Qui.

Lectio ix de Homilia Feriæ in Quadragesima, alias:

Lectio ix

Sed quia esse extránei a caritáte non póterant hi, cum quibus Véritas gradiebátur: eum ad hospítium quasi peregrínum vocant. Cur autem dícimus, vocant, cum illic scriptum sit: Et coëgérunt eum? Ex quo nimírum exémplo collígitur, quia peregríni ad hospítium non solum invitándi sunt, sed étiam trahéndi. Mensam ígitur ponunt, panes cibósque ófferunt: et Deum, quem in Scriptúræ sa-

cræ expositióne non cognóverant, in Panis fractióne cognóscunt. Audiéndo ergo præcépta Dei illumináti non sunt, faciéndo illumináti sunt; quia scriptum est: Non auditóres legis justi sunt apud Deum, sed factóres legis justificabúntur. Quisquis ergo vult audíta intellígere, festínet ea, quæ jam audíre pótuit, ópere implére. Ecce Dóminus non est cógnitus dum loquerétur, et dignátus est cognósci dum páscitur.

Te Deum laudámus.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui a mórtuis exsúrgens, beáto Simeóni Scriptúras omnes quæ de teípso erant, in via declarásti: da nobis, ejus intercessióne; ut illumináti per te óculis cordis nostri, in rerum cæléstium doctrína et amóre proficiámus. Qui vivis et regnas.

Et fit commemoratio bb. Rogerii, Odorici et Ægidii Cc. 1 Ord., ac Feriæ in Quadrag.

Ad Horas Pss. ut in Festis.

In II Vesperis commemoratio sequentis et Feriæ in Quadragesima.

Completorium de Dominica.

De Octava, extra Quadragesimam, fit commem. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, excepta die XXIV.

Die 25 Februarii

EMMAUS

(Extra Quadragesimam)

In Octava S. SIMEONIS Ep. et Martyris

Duplex majus

Ant. et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua de Communi unius Martyris, præter ea, quæ sequuntur.

Lectiones I Noct. de Scriptura occurrenti; II Noct. de Communi unius Martyris 1 loco; III noct. ut in festo. IX Lectio et commemoratio b. Sebastiani de Aparicio C. 1 Ord.

In II Vesperis commemoratio sequentis et b. Sebastiani C.

In anno bissextili celebratur festum s. Matthiæ Ap. cum comm. Octavæ s. Simeonis in utriusque Vesperis et Laudibus.

Feria III post Dom. Septuagesimæ

ORATIONIS D. N. J. CHRISTI

Duplex 2 classis

In titulari Basilica Gethsemani

Duplex 1 class. cum Oct. priv. III Ordinis

In I Vesperis

Ant. de Laud., Psalmi ut in I Vesp. Apost.

Capit. Matth. 26

Venit Jesus ad discípulos suos, et invénit eos dormiéntes, et dicit Petro: Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem.

Hymnus

Aspice ut Verbum Patris a supérnis
Sédibus, clemens et amóre flagrans,
Pérditis culpa génitis medéri
Pergit Adámi.

Flébilem mundi míserans ruínam,
Et volens nostros reparáre casus,
Orat, et prona véniam precátur
Fronte magíster.

Flúctuat secum tot acérba volvens:
Hunc, ait supplex, cálicem dolóris,
Mi Pater, transfer; tua sed volúntas,
Non mea fiat.

Cum premat tristis pavor ima cordis,
Déficit languens Dóminus; per artus
Sánguinis sudor fluit, atque guttis

Terra madéscit.
At celer summo véniens Olýmpo
Ángelus Jesum récreat jacéntem:
Córpori vires rédeunt, novóque
Róbore surgit.
Laus, honor Patri, genitæque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracléto decus atque virtus
Omne per ævum.
Amen.

℣. Tristis est ánima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magnif. Ant. Pósitis génibus orábat, dicens: Pater, si vis, transfer cálicem istum a me: verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui in horto verbo et exémplo nos oráre docuísti, ad tentatiónum perícula superánda: concéde propítius; ut nos oratióni semper inténti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur: Qui vivis et regnas.

Completorium de Dominica.

Ad Matutinum

Invit. Christum Jesum in monte Olivárum orántem * Veníte adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymn. Áspice, ut in I Vesperis.

In I Nocturno

Ant. Ante oratiónem * præpara ánimam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.

Psalmus 16

Exáudi, Dómine, justítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.
Áuribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.
De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi

tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte: * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis: * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me; * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam: * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge, Dómine, præveni eum, et supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, a paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ant. Ante oratiónem præpara ánimam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum.

Ant. Non impediáris oráre semper, et ne vereáris usque ad mortem justificári.

Psalmus 27

Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas a me: * ne quándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te: * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus: * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus * déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea: * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ: * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ: * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Ant. Non impediáris oráre semper, et ne vereáris usque ad mortem justificári.

Ant. Ómnia quæcúmque petiéritis in oratióne credéntes, accipiétis.

Psalmus 141

Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Dóminum deprecátus sum:

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, *

et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram et vidébam : * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam : * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me : * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo : * me exspéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Ómnia quæcúmque petiéritis in oratióne credéntes, accipiétis.

℣. Tristis est ánima mea.

℟. Usque ad mortem.

Lectio i

De libro Tobíæ

Cap. 12 b.

Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere, quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quæ purgat peccáta, et facit invenire misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrimis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit

ut tentátio probáret te.

℟. In ómnibus grátias ágite : * Sine intermissióne oráte.

℣. Hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. - Sine.

Lectio ii

De Epístola
beáti Jacóbi Apóstoli

Cap. 5, d.

Oráte pro ínvicem, ut salvémini : multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis : et oratióne orávit ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum orávit : et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritáte, et convérterit quis eum, scire debet quóniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus a morte, et opériet multitúdinem peccatórum.

℟. Cum stábitis ad orándum, * Dimíttite, si quid habétis advérsus áliquem.

℣. Ut et Pater vester, qui in cælis est, dimíttat vobis peccáta vestra. - Dimíttite.

Lectio iii

De Epístola
beáti Pauli Apóstoli
ad Hebræos

Cap. 5

Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido, et lácrimis ófferens, exaudítus est pro

sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam : et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex juxta órdinem Melchísedech.

℟. Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam : * Dóminus oratiónem meam suscépit.

℣. Clamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine. - Dóminus. Glória Patri. - Dóminus.

In II Nocturno

Ant. Cum orátis, non éritis sicut hypócritæ, qui amant in synagógis, et in ángulis plateárum stantes oráre, ut videántur ab homínibus.

Psalmus 42

Júdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea : * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam : * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei : * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus : * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Cum orátis, non éritis sicut hypócritæ, qui amant in synagógis, et in ángulis plateárum stantes oráre, ut videántur ab homínibus.

Ant. Tu autem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et clauso

óstio, ora Patrem tuum in abscóndito.

Psalmus 63

Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprécor : * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium : * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas : * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt : * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos : * dixérunt : Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes : * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum : * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum : * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos : * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta ejus intellexérunt.

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Tu autem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et clauso óstio, ora Patrem tuum in abscóndito.

Ant. Factum est autem in illis diébus, éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

Psalmus 120

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum : *

neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Ísraël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum: * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Ant. Factum est autem in illis diébus, éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

℣. Pater mi, si possíbile est.

℟. Tránseat a me calix iste.

Lectio iv

Ex Tractátu sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris

De Oratione Dominica

Nec verbis tantum, sed et factis Dóminus oráre nos dócuit, ipse orans frequénter, et déprecans, et quid fácere nos oportéret exémpli sui contestatióne demónstrans, sicut scriptum est: Ipse autem fuit secédens in solitúdinem, et adórans. Et íterum: Exívit in montem oráre, et fuit pernóctans in oratióne Dei. Quod si ille orábat, qui sine peccáto erat, quanto magis peccatóres opórtet oráre? Et si ille per totam noctem júgiter vígilans contínuis précibus orábat, quanto nos magis in frequentánda oratióne debémus nocte vigiláre? Orábat autem Dóminus, et rogábat non pro se: quid enim pro se ínnocens precarétur? sed pro delíctis nostris, sicut et ipse declárat, cum di-

cit ad Petrum : Ecce sátanas expetívit ut vos vexáret quómodo tríticum : ego autem rogávi pro te, ne defíciat fides tua. Et póstmodum pro ómnibus Patrem deprecátur, dicens : Non pro his autem rogo solis, sed et pro illis, qui creditúri sunt per verbum ipsórum in me : ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te ; ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon, ecce sátanas expetívit vos ut cribráret sicut tríticum : * Ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua.

℣. Et tu aliquándo convérsus confírma fratres tuos. - Ego.

Lectio v

Ex Commentáriis sancti Ansélmi Epíscopi

In Epist. ad Hebr., cap. 5

Sicut verus Póntifex óbtulit preces : nam in Evangélio sæpe légitur orásse, et máxime apud Lucam, qui sacerdótis in eo descrípsit persónam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces et supplicatiónes fuérunt pro homínibus. Tota vita sua Patrem orávit de resurrectióne carnis suæ, ac de nostra salúte, et instánte jam passióne, óbtulit supplicatiónes, id est humíllimas et instantíssimas oratiónes cum summa devotióne cordis et affectióne, quando factus in agonía prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et has preces supplicationésque óbtulit, id est, óbviam tulit Patri per exauditiónem sibi obviánti. Óbtulit eas ad eum qui posset illum a morte salvum fácere, id est resuscitáre ; ad eum quem scivit esse sufficiéntem ut salváret eum, id est, immortálem et impassíbilem fáceret eripiéndo a morte : ut nec

ánima remanéret in inférno, nec caro putrésceret in sepúlcro.

℟. Orátio humiliántis se nubes penetrábit: * Et donec propínquet, non consolábitur.

℣. Et non discédet donec Altíssimus aspíciat. - Et donec.

Lectio vi

Et óbtulit has cum clamóre válido, id est, cum intentióne piæ devotiónis vehementíssima et efficacíssima, ut quando prolíxius orábat, et étiam cum lácrimis; quia in illa prolíxa oratióne credéndus est lácrimas effudísse, cum et guttæ sánguinis pro sudóre decúrrerent ab ejus córpore; et exaudítus est, quia quod quæsíerat, accépit in resurrectióne. Exaudítus est, id est, extra númerum aliórum ómnium audítus est, quóniam super omnem creatúram post labóris sui milítiam a Patre sublimátus est, et hoc pro sua reveréntia, id est, secúndum hoc, quod ipse, sicut Dei Fílius, dignus est reveréntia et veneratióne. Vel pro sua reveréntia in Deum, id est, propter quod ipse super ómnia Patrem revéritus est, et honorávit. Sive pro sua reveréntia, id est, sicut sua relígio méruit. Sánguinis quoque ejus effúsio potest intélligi clamor válidus, in quo exaudítus est pro reveréntia ejúsdem passiónis. Reveréntia est, quod sine peccáto passus est sola caritáte.

℟. Fiant aures tuæ auscultántes, et óculi tui apérti: * Ut áudias oratiónem servi tui.

℣. Quam ego oro coram te hódie, nocte ac die. - Ut. Glória Patri. - Ut.

In III Nocturno

Ant. Tribulátio et angústia invenérunt me, mandáta tua meditátio mea est.

Psalmus 3

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Tribulátio et angústia invenérunt me, mandáta tua meditátio mea est.

Ant. Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

Psalmus 12

Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem? * Úsquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Úsquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me, Dómine, Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Præváluí advérsus eum.

Qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exsultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi: * et psal-

lam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

Ant. Adhæsit paviménto ánima mea, vivífica me secúndum verbum tuum.

Psalmus 87

Dómine, Deus salútis meæ: * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferiori: * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, re-

péllis oratiónem meam : * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea : * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ : * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die : * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum : * et notos meos a miséria.

Ant. Adhæsit paviménto ánima mea, vivífica me secúndum verbum tuum.

℣. Vigiláte, et oráte.

℟. Ut non intrétis in tentatiónem.

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 22, d.

In illo témpore : Egréssus Jesus ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 10, Comm. in Luc. c. 22.

Transfer a me cálicem istum : quasi homo mortem recúsans, quasi Deus senténtiam suam servans. Opórtet enim mori nos sæculo, ut juxta divínam senténtiam lex maledictiónis resolúta in terræ limum natúræ fine solvátur. Quod autem ait : Non mea volúntas, sed tua fiat : suam ad hóminem rétulit, Patris ad divinitátem. Volúntas enim hóminis, temporális, volúntas divinitátis, ætérna. Non ália volúntas Patris, ália Fílii. Una enim volúntas, ubi una divínitas. Disce tamen Deo esse subiéctus, ut non quod ipse vis éligas, sed quod Deo scias esse placitúrum.

℟. Veni in altitúdi-

nem maris: * Et tempéstas demérsit me.

℣. Salvum me fac, Deus, quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. - Et.

Lectio viii

Deínde verbórum ipsórum proprietátem considerémus. Tristis est, inquit, ánima mea. Et álibi: Nunc ánima mea turbáta est valde. Non ergo suscípiens, sed suscépta turbátur. Ánima enim obnóxia passiónibus, divínitas líbera. Dénique spíritus promptus, caro autem infírma. Tristis autem est non ipse, sed ánima. Non est tristis sapiéntia, non divína substántia, sed ánima. Suscépit enim ánimam meam, suscépit corpus meum. Non me feféllit, ut áliud esset, et áliud viderétur. Tristis videbátur, et tristis erat, non pro sua passióne, sed pro nostra dispersióne.

℟. Intret in conspéctu tuo orátio mea: * Inclína aurem tuam ad precem meam.

℣. Quia repléta est malis ánima mea, et vita mea inférno appropinquávit. - Inclína. Glória Patri. - Inclína.

Lectio ix de festo simplificato, alias:

Dénique ait: Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis. Tristis erat, quia nos párvulos relinquébat. Céterum quam constánter se morti obtúlerit consequéntia declárant: quandóquidem quæréntibus occúrrit, turbátos confirmávit, trépidos provocávit, proditórem ósculi dignatióne suscépit. Nec illud distat a vero, si tristis erat pro persecutóribus suis, quos sciébat immánis sacrilégii pœnas datúros. Et ídeo dixit: Transfer hunc cálicem a me. Non quia Deus, Dei Fílius, mortem timébat; sed quia nec

malos pro se períre volébat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1. Venit Jesus * cum discípulis suis in villam, quæ dícitur Gethsémani, et dixit illis: Sedéte hic, donec vadam illuc, et orem.

Pss. de Dominica.

2. Et assúmpto Petro, * et duóbus fíliis Zebedæi, cœpit contristári et mœstus esse.

3. Tunc ait illis: * Tristis est ánima mea usque ad mortem: sustinéte hic, et vigiláte mecum.

4. Et progréssus pusíllum, prócidit in fáciem suam, orans, et dicens: Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste.

5. Pater mi, * si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum, fiat volúntas tua.

Capit. Matth. 26

Venit Jesus ad discípulos suos, et invénit eos dormiéntes, et dicit Petro: Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem.

Hymnus

Venit e cælo mediátor alto,
Quem sacri dudum cecinére vates:
Parce mœrori, lacrimísque amáris,
Fília Sion.
Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodívit: novus iste vitam
Hortus en affert, ubi nocte Jesus
Pérmanet orans.
Víndicem placat Genitóris iram:
Réprimit forti jaciénda dextra
Fúlmina: occúrrit scéleri expiándo
Sponte Redémptor.
Sic teret duros lá-

queos averni,
Et diu cláusam reserábit aulam,
Nos ad ætérni révocans beáta
Gáudia regni.
Laus, honor Patri, genitæque Proli,
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracléto decus atque virtus,
Omne per ævum.
Amen.

℣. Doce nos oráre.
℟. Sic ergo vos orábitis.

Ad Bened. Ant. Factus in agonía prolíxius orábat; et factus est sudor ejus sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui in horto verbo et exémplo nos oráre docuísti, ad tentatiónum perícula superánda: concéde propítius; ut nos oratióni semper intenti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur. Qui vivis et regnas.

Ad Horas Psalmi ut in festis.

Ad Tertiam

Capitulum ut ad Laudes.

℟. br. Tristis est * Ánima mea. - Tristis est.
℣. Usque ad mortem. - Ánima mea. Glória. - Tristis est.
℣. Pater mi, si possíbile est.
℟. Tránseat a me calix iste.

Ad Sextam

Capit. Luc. 21

Vigiláte ítaque omni témpore orántes, ut digni habeámini fúgere ista ómnia quæ futúra sunt, et stare ante Fílium hóminis.

℟. br. Pater mi, * Si possíbile est. - Pater mi.
℣. Tránseat a me calix iste. - Si. Glória. - Pater mi.
℣. Vigiláte, et oráte.
℟. Ut non intrétis in tentatiónem.

Ad Nonam

Capit. Math. 5

Oráte pro persequéntibus et calumniántibus vos: ut sitis fílii Patris vestri, qui in cælis est.

℟. br. Vigiláte, * Et oráte. - Vigiláte. ℣. Ut non intrétis in tentatiónem. - Et. Glória. - Vigiláte.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttæ sánguinis.

In II Vesperis

Antiph. de Laudibus, Pss. ut in I Vesperis Apostolorum, præter ultimum qui erit sequens:

Psalmus 115

Crédidi propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam láudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópulis ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Capitulum et Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttæ sánguinis.

Ad Magnif. Ant. Ecce appropinquávit hora, et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum.

Completorium de Dominica.

De Octava fit comm. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus 1 et 2 classis exceptis.

Feria III post Dominicam Sexagesimæ

FLAGELLATIONIS D. N. JESU CHRISTI

Duplex 2 classis

In titulari Ecclesia Sanctuarii duplex 1 classis cum Oct. priv. III Ordinis

In I Vesperis

Ant. 1. Quis est iste * qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

Psalmi ut in I Vesperis Apost., sed loco ultimi Psalmus Crédidi, ut supra, pag. 61.

2. Oblátus est * quia ipse vóluit, et livóre ejus sanáti sumus.

3. Quare ergo * rubrum est induméntum tuum, et vestiméntum tuum sicut calcántium in torculári?

4. Humiliátus sum * nimis, líbera me a persequéntibus me, quóniam confortáti sunt super me.

5. Fui flagellátus * tota die, et castigátio mea in matutínis.

Capit. Is. 53

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

Hymnus

Salve Colúmna nóbilis
Christi dolórum cónscia:
Queis fracta virtus dæmonis,
Exémpta nobis víncula.

Cruóre Abélis íllita
Tellus ad astra clámitat:
Clamas, Colúmna, ad sídera,
Inúncta Jesu sánguine.

Sed illa ad iram víndicem
Clamat sevéri Júdicis;
Iram foves tu Núminis
Pacémque quæris sóntibus.

Operge semper fléctere
Pœnas minántem déxteram:
Quæ sanguis emit præmia
Christi fruámur pérpetim.

Cæso flagéllis glória,
Jesu, tibi sit júgiter,
Cum Patre et almo Spíritu,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes horas, etiam per Octavam.

℣. Corpus meum dedi percutiéntibus.
℟. Et genas meas velléntibus.

Ad Magnif. Ant. Aspérsus est sánguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui secúndum divítias misericórdiæ tuæ, ut nos ab ætérnis supplíciis eríperes, in membris tuis dira flagélla pertulísti: da nobis, malum quod fécimus digna castigatióne puníre; et jugi vúlnerum tuórum memória, novas offénsas devitáre. Qui vivis et regnas.

Completorium de Dominica.

Ad Matutinum

Invitat. Jesum Dei Fílium flagéllis cæsum: * Veníte adorémus.

Hymnus

A déste quotquot crí-
minum
Funésta labes ínficit;
Jesum revínctum fúni-
bus
Nudúmque membra cérnite.
Loris, caténis, fústi-
bus
Ictu frequénti túnditur:
Corpúsque livet, mox
sacro
Totum madéscit sánguine.
Sed ille, ut agnus ínnocens
Cultro necándus, cónticet;
Parcat Patérque ut sóntibus
Imo precátur péctore.
Sic nempe culpas díluit
Quas gignit ardor ímprobus:
O vana cessent gáudia,
Cessent faces libídinis.
Cæso flagéllis glória,
Jesu, tibi sit júgiter,
Cum Patre et almo Spíritu,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

In I Nocturno

Ant. Fremuérunt gentes, * et convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum, * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum: * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu: ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et támquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, ne quándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Fremuérunt gentes, et convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Ant. Qui tríbulant me * exsultábunt si motus fúero; ego autem in misericórdia tua sperávi.

Psalmus 12.

Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem? * Úsquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Úsquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos ne únquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exsultábit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Qui tríbulant me exsultábunt si motus fúero: ego autem in misericórdia tua sperávi.

Ant. Inimíci mei * ánimam meam circumdedérunt, et suscepé-

runt me sicut leo parátus ad prædam.

Psalmus 16.

Exáudi, Dómine, justítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Áuribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte: * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis: * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína áurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam oculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me: * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me, nunc circumdedérunt me: óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam: * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge, Dómine, præveni eum, et supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, a páucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis: * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor, cum apparúerit glória tua.

Ant. Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, et suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam.

℣. Ego in flagélla parátus sum.

℟. Et dolor meus in conspéctu meo semper.

Lectio i

De Isaía Prophéta

Cap. LIII, 1.

Quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti: non est spécies ei, neque decor: et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desideravímus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vicínis meis valde, et timor notis meis: * Et ossa mea conturbáta sunt.

℣. Factus sum tamquam vas pérditum, quóniam audívi vituperatiónem multórum commoránti um in circuítu. - Et ossa.

Lectio ii

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblá-

tus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum : sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est : generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra viéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua : eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus.

℟. Effúdit super eum Dóminus indignatiónem furóris sui, et forte bellum : * Non pósuit ei misericórdiam, et aggravávit super eum jugum suum valde.

℣. Quis dedit in direptiónem Jacob, et Israël? Nonne Deus cui peccávimus? - Non pósuit.

Lectio iii

Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte : si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur : in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos : et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est : et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, impropérium exspectávit cor meum et misériam. * Quóniam ego sum páuper et dolens.

℣. Quem tu percussísti persecúti sunt, et super dolórem vúlne-

rum meórum addidérunt. - Quóniam. Glória Patri. - Quóniam.

In II Nocturno

Ant. Sustínui * qui simul contristarétur et non fuit, et qui consolarétur et non invéni.

Psalmus 68.

Salvum me fac, Deus: * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infíxus sum in limo profúndi: * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris: * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clámans, ráucæ factæ sunt fáuces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt, qui persecúti sunt me inimíci mei injúste: * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam: * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me, qui exspéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me, * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me: * et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam: * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium: * et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur, qui sedébant in

porta : * et in me psallébant, qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te, Dómine : * tempus beneplaciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ.

Éripe me de luto, ut non infígar : * líbera me ab iis, qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum : * neque úrgeat super púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua : * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : * quóniam tríbulor velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, et líbera eam : * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes, qui tríbulant me, * impropérium exspectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel : * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum, ne vídeant : * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam : * et furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum deserta : * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam, quem tu percussísti persecúti

sunt: * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum: * et non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro viéntium: * et cum justis non scribántur.

Ego sum pauper, et dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * et magnificábo eum in láude.

Et placébit Deo super vítulum novéllum: * córnua producéntem, et úngulas.

Vídeant páuperes, et læténtur: * quærite Deum, et vivet ánima vestra:

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus: * et vinctos suos non despéxit.

Láudent illum cæli, et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion: * et ædificabúntur civitátes Juda.

Et inhabitábunt ibi, * et hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam: * et qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Ant. Sustínui qui simul contristarétur et non fuit, et qui consolarétur et non invéni.

Ant. Fui flagellátus * tota die et castigátio mea in matutínis.

Psalmus 72.

Quam bonus Israël Deus * his, qui recto sunt corde!

Mei autem pene moti sunt pedes: * pene effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum; * et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum ho-

mínibus non flagellabúntur:

Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum: * transiérunt in afféctum cordis.

Cogitavérunt, et locúti sunt nequítiam: * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cælum os suum: * et lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic: * et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt: Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?

Ecce ipsi peccatóres, et abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo sine causa justificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas:

Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me:

Donec intrem in Sanctuárium Dei: * et intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis: * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt: * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt: * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te: * et ego semper tecum.

Tenuísti manum déx-

teram meam : et in voluntáte tua deduxísti me, * et cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo ? * et a te quid vólui super terram ?

Defécit caro mea, et cor meum : * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se a te, perîbunt : * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est : * pónere in Dómino Deo spem meam :

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

Ant. Fui flagellátus tota die, et castigátio mea in matutínis.

Ant. Super me * confirmátus est furor tuus, et omnes fluctos tuos induxísti super me.

Psalmus 87.

Dómine Deus salútis meæ, * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea : * inclína aurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis ánima mea : * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, quorum non es memor ámplius : * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferiori : * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar : * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die : * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum, et próximum: * et notos meos a miséria.

Ant. Super me confirmátus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxísti super me.

℣. Ego áutem sum vermis et non homo.

℟. Oppróbrium hóminum et abjéctio plebis.

Lectio iv

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

De Pass. Domini cap. 40

Quinta rubricátio rosæ invenítur in crudéli flagellatióne mansuetíssimi Agni rósei Jesu. Oh! cum quanta quantitáte putas illum sanctíssimum sánguinem e conscísso córpore, et flagelláto distillásse in terram! Oh! quanta putas sævítia impiórum freméntium, quanto frémitu sæviéntium flagellátum putas fuísse dulcem Jesum, qui vénerat, ut nos a flagéllis liberáret ætérnis! Sine cáusa, inquit, flagéllis

cecidérunt me. Vere sine cáusa, nisi forte misérrimi et pervérsi bona ópera tua pœnis digna judicárent, qui veritátem tuam in mendácio detinuérunt.

℟. Dixérunt ímpii: Veníte, cogitémus contra justum cogitatiónes, quóniam contrárius est opéribus nostris: promíttit se sciéntiam Dei habére, Fílium Dei se nóminat et gloriátur Patrem se habére Deum. * Videámus si sermónes illíus veri sint, et si est vere Fílius Dei, líberet eum de mánibus nostris.

℣. Veníte, percutiámus eum, et non attendámus ad univérsos sermónes ejus. - Videámus.

Lectio v

Sed et hic moráliter erudímur, ut flagélla benignissimi Patris nostri discámus æquanímiter toleráre, qui pessimórum flagélla pro nobis indígnis tam patiénter sustínuit dulcis Jesus. Quis enim flagélla non sufférret homo in flagélla parátus, ad labórem natus, in peccátis nutrítus, et conversátus, hereditáti cæléstis áulæ destinátus, quæ nonnísi mundos récipit, cum vídeat Regem ómnium regum et Dóminum dominántium dulcem Jesum, qui peccátum non fecit, et in cujus ore non est dolus invéntus, tam grávibus flagellatiónibus esse contrítum?

℟. Ecce ego indúcam super te terrórem, ait Dóminus Deus exercítuum, ab ómnibus qui sunt in circúitu tuo. * Párvulum dedi te in Géntibus, contemptíbilem inter hómines.

℣. Pavéscere fáciam eum coram inimícis suis, et in conspéctu quæréntium ánimam ejus, et addúcam super eum malum, viam furóris mei. - Párvulum.

Lectio vi

Audi, o homo stulte et insípiens, et erudíre, et non solum non réfuge, sed étiam apprehénde disciplínam, ne forte quandóque péreas de via justa, Dómino tibi irascénte; qui próprio Fílio suo non pepércit, sed propter te trádidit flagellándum. Non pepércit Fílio suo naturáli, consubstantiáli sibi, et coætérno, et impassíbili, quin pro salúte tua ipsum fáceret nasci in témpore, et passíbilem; et flagéllis contéreret, sicut scriptum est: Dóminus vóluit eum contérere in infirmitáte. Et quómodo parcet tibi fílio adoptívo, cum sensus tui proni sint in malum? Quia in camo et fræno maxíllas tuas constrínget, ut saltem vexátio det tibi intelléctum: quátenus ad ipsum approximáre cogáris, qui licet moléste, salúbriter tamen flagéllat omnem fílium, quem récipit.

℟. Aperuérunt super me ora sua, et exprobrántes percussérunt maxíllam meam. * Satiáti sunt pœnis meis.

℣. Convulnerávit lumbos meos, concídit me vúlnere super vulnus: non pepércit. - Satiáti. Glória Patri. - Satiáti.

In III Nocturno

Ant. Supra dorsum meum fabricavérunt * peccatóres, quæsiérunt ánimam meam et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Psalmus 29.

Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus : * et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus : * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus : * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea : * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avértisti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo : * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus et misértus est mei : * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi : * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia.

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar : * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres, quæsiérunt ámam meam et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ant. Réspice * inimícos meos, Dómine, quóniam multiplicáti sunt et ódio iníquo odérunt me.

Psalmus 24.

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam : * Deus meus in te confído, non erubéscam :

Neque irrídeant me inimíci mei : * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi : * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me: * quia tu es, Deus, salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miserationónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * et ignoántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dúlcis et rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, et testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Ánima ejus in bonis demorábitur: * et semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Óculi mei semper ad Dóminum: * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei: * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum: * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Réspice inimícos meos, Dómine, quóniam multiplicáti sunt, et ódio iníquo odérunt me.

Ant. Sagíttæ tuæ * infíxæ sunt mihi, et non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ, non est pax óssibus meis.

Psalmus 37.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi: * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt, et corrúptæ sunt cicatríces meæ, * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus: * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis: * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Amíci mei, et próximi mei, * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui juxta me erant, de longe stetérunt: * et vim faciébant qui quæ-

rébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam: * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens: * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum: * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo: * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci áutem mei vivunt, et confirmáti sunt super me: * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus: * ne discésseris a me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Ant. Sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi, et non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ, non est pax óssibus meis.

℣. Circumdedérunt me vítuli multi.

℟. Táuri pingues obsedérunt me.

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Cap. 18

In illo témpore: Pilátus exívit ad Judæos, et dixit eis: Est consuetúdo vobis ut unum dimíttam vobis in Pascha: vultis ergo dimíttam vobis Regem Judæórum? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 115 in Joan. 18

Credo cum dixísset Pilátus : quid est véritas? in mentem illi venísset contínuo consuetúdinem Judæórum, qua solébat eis dimítti unus in Pascha, et ídeo non exspectávit ut respondéret ei Jesus : quid est véritas? ne mora fíeret cum recoluísset morem, quo posset eis per Pascha dimítti : quod eum valde voluísse, maniféstum est. Avélli tamen ab ejus corde non pótuit Jesum Regem esse Judæórum, tamquam hoc ibi, sicut in título, ipsa véritas fíxerit, de qua quid esset interrogávit.

℟. In túrbine contrívit me, et multiplicavérunt vúlnera mea, implévit me amaritudínibus, * Et pili carnis meæ inhorruérunt.

℣. Clamábo vim pátiens, et nemo áudiet, vociferábor et non est qui júdicet. - Et pili.

Lectio viii

Erat autem Barábbas latro. Non reprehéndimus, o Judæi, quod per Pascha liberátis nocéntem, sed quod occíditis innocéntem : quod tamen nisi fíeret, verum Pascha non fíeret. Sed umbra veritátis a Judæis errántibus tenebátur, et mirábili dispensatióne divínæ sapiéntiæ per hómines falláces ejúsdem umbræ véritas implebátur; quia ut verum Pascha fíeret, Christus velut ovis immolabátur. Hinc ea sequúntur quæ injuriósa Christo Pilátus et cohors ejus ingéssit.

℟. Úsquequo afflígitis ánimam meam, et attéritis me; confúnditis me, et non erubéscitis oppriméntes me. * Saltem intellígite quia Deus afflíxerit me, et flagéllis me cínxerit.

℣. Spoliávit me glória mea, irátus est furor ejus, et sic me hábuit

quasi hostem suum. - Saltem. Glória Patri. - Saltem.

Lectio ix de festo simplificato, alias:

Cum Judæi clamássent, non Jesum sibi a Piláto dimítti velle per Pascha, sed Barábbam latrónem; non Salvatórem, sed interfectórem; non datórem vitæ, sed ademptórem: tunc apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Hoc Pilátus non ob áliud fecísse credéndus est, nisi ut ejus injúriis Judæi satiáti, suffícere sibi existimárent, et usque ad ejus mortem sævíre desísterent. Ad hoc pértinet, quod idem præses cohórtem suam étiam permísit fácere quæ sequúntur; aut fortássis et jussit, quamvis hoc Evangelísta tacúerit. Dixit enim quid deínde fécerint mílites, Pilátum tamen id jussísse non dixit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1. Circumdedérunt me * dolóres mortis et torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

Psalmi de Dominica.

2. Passus sum * absque iniquitáte, et membra mea quasi in níhilum redácta sunt.

3. Corpus meum * dedi percutiéntibus et genas meas velléntibus: fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me.

4. In die afflictiónis meæ * prævenérunt me inimíci mei, et factus est Dóminus protéctor meus.

5. Quasi leo * sic contrívit ómnia ossa mea. Quid dicam, aut quid respondébit mihi cum ipse fecérit?

Capit. Is. 53

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam

declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum.

Hymnus

Salvéte, Christi vúlnera,
Imménsi amóris pígnora,
Quibus perénnes rívuli
Manant rubéntis sánguinis.

Nitóre stellas víncitis,
Rosas odóre et bálsama,
Prétio lapíllos índicos,
Mellis favos dulcédine.

Quot Jesus in prætório
Flagélla nudus éxcipit!
Quot scissa pellis úndique
Stillat cruóris gúttulas!

Veníte, quotquot críminum
Funésta labes ínficit,
In hoc salútis bálneo,
Qui se lavat mundábitur.

Cæso flagéllis glória,
Jesu, tibi sit júgiter,
Cum Patre et almo Spíritu
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Pedes eórum ad malum currunt.

℟. Et festínant ut effúndant sánguinem innocéntem.

Ad Benedictus Ant.

Iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam, et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui secúndum divítias misericórdiæ tuæ, ut nos ab ætérnis supplíciis eríperes, in membris tuis dira flagélla pertulísti: da nobis, malum quod fécimus, digna castigatióne punire; et jugi vúlnerum tuórum memória, novas offénsas devitáre. Qui vivis et regnas.

Ad Horas Psalmi ut in festis. Ad Primam ℣.

Qui pro nobis pati dignátus es.

Ad Tertiam

Capitulum ut ad Laudes.

℟. br. Quem tu percussísti * Persecúti sunt. - Quem tu. ℣. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt. - Persecúti. Glória. - Quem tu.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Ad Sextam

Capit. Is. 53

Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium, propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. br. Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. - Ipse vulnerátus. ℣. Attrítus est propter scélera nostra. - Propter. Glória. - Ipse.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit.

℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

Ad Nonam

Capit. Is. 53

Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur. Dispértiam ei plúrimos, et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est, et ipse peccáta multórum tulit et pro transgressóribus rogávit.

℟. br. Vere languóres nostros * Ipse tulit. - Vere. ℣. Et dolóres nostros ipse portávit. - Ipse tulit. Glória. - Vere.

℣. Ego in flagélla parátus sum.

℟. Et dolor meus in conspéctu meo semper.

In II Vesperis

Omnia ut in I Vesperis, præter sequentia.

Hymnus

Quæ corda non emólliant,
Et secta flagris térgora,
Et cincta spinis témpora,
Cruórque manans úndique?

Christi sed hostes pérfidi
Humanitátem nésciunt:
Cruci dari post vérbera
Furóre poscunt cónciti.

Non ábnuit Jesus crucem,
Gravíque dorsum pónderi
Sui dolóris cónsciam
Linquens Colúmnam, subjicit.

Duro gravátus stípite,
Nostro magis sed crímine,
Morti dicáta víctima,
En pergit ad Calvária m.

Crucem geréntes nos quoque
Ipso juvánte lánguidos,
Omni solúti vínculo,
Forti sequámur péctore.

Cæso flagéllis glória,
Jesu, tibi sit júgiter,
Cum Patre et almo Spíritu,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

℣. Ego in flagélla parátus sum.
℟. Et dolor meus in conspéctu meo semper.

Ad Magnificat, Ant. Non est ei spécies neque decor: et vídimus eum et non erat aspectus, et desiderávimus eum.

Completorium de Dominica.

De Octava fit comm. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus 1 et 2 classis exceptis.

Feria III post Dom. Quinquagesimæ

IN SANCTUARIO FLAGELLATIONIS

OCTAVA FLAGELLATIONIS D. N. J. CHRISTI

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in die Festo, præter Lectiones primi Nocturni, quæ erunt de Scriptura occurrenti.

Die 5 Martii

BETHLEHEM

S. EUSEBII CREMONENSIS ABBATIS

Duplex 2 classis

Omnia de Comm. unius Confess. non Pontif., præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio

Deus, qui sanctum Eusébium, apud Nativitátis tuæ loca, virtútum et sapiéntiæ laude claréscere fecísti: da, quæsumus; ut viam per quam ille incéssit fidéliter ambulántes, ad cæléstem glóriam transíre mereámur. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. s. Joan-

nis Josephi a Cruce C. 1 Ord., et Feriæ in Quadragesima.

Completorium de Dominica.

Lectiones I Nocturni de Communi II loco.

Justus,

In II Nocturno

Lectio iv

Eusébius Cremónæ in Insúbria ex nobílibus paréntibus natus, et liberálibus disciplínis a prima ætáte institútus, étiam jurisprudéntiæ óperam dedit. Sed perfectióris vitæ desidério incénsus in Palæstínam proféctus est loca sancta veneratúrus, et monásticum ampléxus institútum, sancto Hierónymo fidélis comes et discípulus adhæsit. Exórtis deínde inter sanctum Doctórem et Rufínum Aquilejénsem Presbýterum dissídiis, præsértim circa libros Periárchon Orígenis, quos Rufínus de græco in latínum vérterat, Eusébius pro magístro suo stetit, multis proptérea ab eódem Rufíno impetítus calúmniis et convíciis exagitátus, sed a sancto Doctóre viríliter defénsus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et.

Lectio v

Romæ étiam pro Cathólicæ fidei veritáte sub Anastásio Pontífice una cum Pammáchio, aliísque piis et doctis viris, contra Origenistárum erróres strenue laborávit. Cum autem Pelágius, ejúsque discípuli gravióribus forte ódiis sanctum Hierónymum exercére cœperint, pro illíus honóre vigilánter excúbuit. Rursus in Itáliam venit,

et inde advérsus Valeriánum Valérii cómitis servum, qui Pelagiána hæresi inféctus Alexandríam confúgerat, ad Cyríllum illíus urbis Epíscopum scripsit, ut a communióne sua removéret, nec recíperet discípulum illum Cæléstii ab Innocéntio Papa cum univérsa Ecclésia Occidentáli jam damnáti.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

In Bethlehemítico monastério apud incunábula Salvatóris diu vixit cum sancto Hierónymo, qui ejus grátia tum commentários in Matthæum édidit, tum Explanatiónem in Jeremíam Prophétam. Sancto Doctóre vita functo, in ejus locum succéssit, monásticæ disciplínæ, æque ac aliárum virtútum heres, quibus cumulátus biénnio post migrávit in cælum. In spelúnca Béthlehem, juxta sepúlcrum sancti Hierónymi præceptóris sui, tumulátum fuit Eusébii corpus, ubi ejus quoque sepúlcrum invísitur, et a fidélibus magna devotióne cólitur. Ejúsdem festum ab immemorábili témpore plúribus in locis celebrári consuévit, maximéque apud Cremonénses, qui civem hunc suum Patrónum in cælis habent ac venerántur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. Glória. - Quia.

In III Nocturno Ho-

milia in Evangélium Ecce nos relíquimus omnia, de Communi Abbatum, I loco.

In Quadragesima ix lectio de Homilia Feriæ, alias lectio ix pro s. Joanne-Josepho a Cruce.

In Laudibus fit commemoratio s. Joannis Josephi et Feriæ in Quadragesima.

In II Vesperis fit comm. sequentis, s. Joannis Josephi, ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm. et Feriæ in Quadragesima.

Completorium de Dominica.

Die 6 Martii

Apud Moniales Clarissas

S. COLETÆ VIRGINIS

Duplex 2 classis

Omnia ut in Communi unius Virginis et in Breviario. In Quadragesima ix lectio de Homilia Feriæ. Commemoratio ss. Perpetuæ et Felicitatis MM., et Feriæ in Quadragesima.

In II Vesperis commemoratio sequentis, et Feriæ in Quadragesima.

Die 15 Martii

In Ecclesia ss. Sepulcri

S. LONGINI MILITIS MARTYRIS

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, reliqua ut in Comm. unius Martyris, præter sequentia.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui dixísti : Si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad me ipsum; præsta, quæsumus : ut, per intercessiónem beáti Longíni Mártyris, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Qui vivis et regnas.

Et fit commemoratio Feriæ.

Lectiones I Nocturni Fratres : Debitóres, de Com. plurium Martyrum cum ℟℟. tamen unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Ex sermóne sancti Bernárdi Abbátis

in Ps. Qui habitat, serm. 7

Dóminus meus Jesus post cétera inestimábilis suæ erga me benefícia pietátis, étiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi; quod vidélicet nonnísi de déxtera mihi propináre vellet, nonnísi in

déxtera locum paráre refúgii. Útinam ego talis mérear esse colúmba, quæ in forámine petræ hábitet, et in forámine láteris dextri.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. - Et.

Lectio v

Consídera tamen hoc vulnus eum pénitus non sensísse. Neque enim illud excípere vóluit, nisi jam soporátus in morte; ut monéret te, quámdiu vivis, in huius semper láteris vigiláre custódia; sed et mórtuam censéri eam ánimam oportére : quæ quidem perniciósa insensibilitáte dissímulet in déxtera sibi vulnus inflígi. Mérito quidem in sinístro látere pósitum esse dícitur cor hóminis, quod affectátio ejus prona sit semper et proclívis in terram. Nec sane ignorábat hoc miserabíliter ingemíscens : Adhæsit, inquit, paviménto ánima mea, vivífica me secúndum verbum tuum.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Et.

Lectio vi

Sed ne his quidem in hoc póndere condiciónis humánæ et gravédine cordis volébat remanére, qui sic ádmonens loquebátur : Levémus corda cum mánibus ad Deum. Plane id suadébat, ut a sinístro látere erigeréntur ad dextrum. Sæculáris mi-

lítia, fratres, in sinístro tantum látere clýpeum portat; non imitémur, si inter eos nólumus deputári, quos huic sæculo militáre constat, non Christo. Nemo, inquit, mílitans Deo, ímplicat se negótiis sæculáribus; hoc est, scutum ápplicat dextræ, non sinístræ.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus: * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus: et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. - Et. Glória Patri. - Et.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Joann. 19, 31-37

In illo témpore, Judæi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato (erat enim magnus dies Sábbati), rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Et réliqua.

Homilía sancti Bonaventúræ Epíscopi

Opusc. X. Vitis Mystica Cap. 24, 3.

Accedéndum est ad cor illud humíllimum altíssimi Jesu, per jánuam vidélicet láteris lanceáti; ibi procul dúbio thesáurus ineffábilis desiderábilis caritátis latet; ibídem devótio invenítur; inde lacrimárum grátia extráhitur, díscitur mansuetúdo et patiéntia in advérsis, compássio in afflíctis, præcípue cor contrítum et humiliátum invenítur. Talis ac tantus compléxus tuos desíderat, talis te, ut complectátur, exspéctat; caput flóridum, multis spinárum acúleis confíxum ad te inclínat, ut ad pacis ósculum te invítet, quasi dicat: Ecce, quómodo configurátus sum,

quómodo confóssus, quómodo mactátus, ut te possim pónere super húmeros meos, quæ aberráveras, ovis mea, et ad páscuæ cæléstis redúcere paradísum. Redde vicem et super vúlnera mea misericórdia commovére, et pone me talem, qualem nunc vides, ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, ut in ómnibus cogitatiónibus cordis tui, in ómnibus opéribus brachiórum tuórum mihi táliter, ut vides, signáto possis símilis inveníri.

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Expréssa signo sanctitátis, glória honóris et opus fortitúdinis.

Lectio viii

Conformáveram te imágini Deitátis meæ, cum te creárem, conformátus sum imágini humanitátis tuæ, ut te reformárem. Tu ergo, qui non retinuísti formam Deitátis meæ tibi impréssam in tua formatióne, rétine saltem formam humanitátis tuæ mihi impréssam in tua recreatióne; si non rétines, qualem te creáveram, rétine saltem, qualem te recreáveram; si non capis, quantas virtútes tibi déderim te creándo, cape saltem, quantas in humanitáte tua misérias propter te accéperim te recreándo, et ad potióres, quam ad aquas te formáveram delícias reformándo. Nam proptérea homo visíbilis factus sum, ut a te visus amárer, qui in Deitáte mea invísus et invisíbilis quodam modo non amábar. Da ergo præmium Incarnatióni meæ et Passióni te, pro quo

incarnátus simul sum et passus. Dedi me tibi, da te mihi.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Qui. Glória Patri. - Qui.

IX lectio de Homilia Feriæ.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui dixísti: Si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad me ipsum: præsta, quæsumus; ut, per intercessiónem beáti Longíni Mártyris, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. Feriæ.

In II Vesperis comm. Feriæ.

Die 17 Martii

In Ecclesia ss. Sepulcri

S. JOSEPH AB ARIMATHÆA CONFESSORIS

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi reliqua ut in Communi ad omnes Horas, et ℣℣. unius Confessoris non Pont. præter ea quæ hic Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, habentur propria.

Oratio

Deus, qui beátum Jóseph ab Arimathæa elígere dignátus es, ut corpus Jesu dilécti Fílii tui de Cruce depóneret, et honorífice in monuménto suo novo cónderet: concéde, quæsumus; ut, ejúsdem Fílii tui sánguine mundáti, et consepúlti, ac morti ejus configuráti, in eo, per eum et cum eo in ætérnum vivámus. Per eúmdem.

Et fit commemoratio s. Patricii Ep. Conf., et Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

De Commentário sancti Hierónymi Presbýteri

In Ev. S. Matth. lib. 4

Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nómine Jóseph, qui et ipse discípulus erat Jesu. Tunc Pilátus jússit reddi corpus. Dives refértur, non de jactántia scriptóris, quo virum nóbilem atque ditíssimum réferat Jesu fuísse discípulum; sed ut osténdat cáusam quare a Piláto corpus Jesu potúerit impetráre. Páuperis enim et ignóti non erat ad Pilátum præsidem románæ potestátis accédere, et Crucifíxi corpus impetráre.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et.

Lectio v

Et accépto córpore, Jóseph invólvit illud in síndone munda. Hac símplici sepultúra Dómini ambítio dívitum condemnátur, qui ne in túmulis quidem possunt carére divítiis. Póssu-

mus autem juxta intelligéntiam spirituálem hoc sentíre, quod corpus Dómini non áuro, gemmis et sérico, sed linteámine puro obvolvéndum sit, quámquam et hoc significet quod ille in síndone munda invólvit Jesum, qui pura mente eum suscéperit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Et pósuit illud in monuménto suo novo, quod excíderat in petra, et advólvit saxum magnum ad óstium monuménti, et ábiit. In novo pónitur monuménto, ne post resurrectiónem, céteris corpóribus remanéntibus, resurrexísse álius fingerétur. Potest autem et novum sepúlcrum Maríæ virginálem úterum demonstráre, saxúmque óstio appósitum, et saxum magnum osténdere absque auxílio plurimórum sepúlcrum non potuísse reserári.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pérvenit ad cæléstia regna. - Quia. Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Luca c. 23, 50-53

In illo témpore: Ecce vir nómine Jóseph, qui erat decúrio, vir bonus et jústus. Et réliqua.

Homilía
sancti Bedæ Venerábilis
Presbýteri
In Lucam libr. 6

Magnæ quidem Joseph iste dignitátis ad sæculum, sed majóris apud Deum mériti fuísse laudátur, ut per justítiam meritórum sepeliéndo córpore Domínico dignus foret, et per nobilitátem poténtiæ sæculáris idem accípere posset. Non enim quílibet ignótus ad Præsidem accédere et Crucifíxi corpus póterat impetráre. Et ex símplici sepultúra Dómini, ambítio dívitum condemnátur, qui ne in túmulis quidem possunt carére divítiis. Póssumus autem iuxta intelligéntiam spiritálem, et hoc sentíre, quod ille in síndone munda invólvat Jesum, qui pura eum mente suscéperit. In novo áutem pónitur monuménto, ne post resurrectiónem céteris corpóribus remanéntibus, surrexísse álius fingerétur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Quod bene monuméntum de petra excísum fuísse memorátur, ne si ex multis lapídibus ædificátum esset, suffóssis túmuli fundaméntis ablátus furto dicerétur. Áliter, solus túmulo Dóminus inclúditur, ut speciális illíus sepultúra, idest, nostræ dissímilis, sicut et cétera dispensatiónis ejus arcána a nostræ natúræ fragilitáte discrepavére, speciális et resurréctio designétur. Nam

et vetus homo appáruit, sed ex Vírgine Matre concéptus et natus. Et tentátus est per ómnia, sed pro similitúdine, absque peccáto. Et mórtuus est, sed quómodo ipse vóluit; et sepúltus est, sed quámdiu vóluit; et suscitátus est, sed quándo vóluit. Hoc est ergo quod ait: Singuláriter sum ego, donec tránseam. Et álibi de singulári sepultúra: In pace in idípsum obdórmiam et requiéscam, quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe constituísti me, idest, ceterórum mortálium in fine resurrectióne serváta, me singulári dono a mórtuis die tértia resúrgere promisísti.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. Glória Patri. - Et vos.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

Oratio

Deus, qui beátum Joseph ab Arimathæa elígere dignátus es, ut corpus Jesu dilécti Fílii tui de Cruce depóneret, et honorífice in monuménto suo novo cónderet: concéde, quæsumus; ut, ejúsdem Fílii tui sánguine mundáti, et consepúlti, ac morti ejus configuráti, in eo, per eum, et cum eo in ætérnum vivámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. s. Patricii et Feriæ.

In II Vesperis fit comm. sequentis, s. Cyrilli Hierosolymitani Ep. Conf. Doct., ℣. Elégit, s. Patricii ℣. Tu es sacérdos, et Feriæ.

Die 19 Martii

TRIPOLI (in urbe), BERYTI, KNAIE
et CAIRI (Ismailiæ)

S. JOSEPH SPONSI B. M. V.

Ecclesiarum Titularis
Duplex 1 classis absque Octava ratione Quadrag.

Omnia ut in Breviario.

Die 24 Martii

S. GABRIELIS ARCHANGELI

Duplex 2 classis

NAZARETH et MUGEIDEL
Ecclesiarum Titularis
Duplex 1 classis sine Octava

Omnia ut in Breviario.

Die 25 Martii

NAZARETH, SYDONE et DAMANHUR

ANNUNTIATIONIS B. M. V.

Titularis Ecclesiarum
Duplex 1 classis, sed absque Octava,
ratione Quadragesimæ

Omnia ut in Breviario.

Die 26 Martii

IN ECCLESIA SS. SEPULCRI

S. BONI LATRONIS CONFESSORIS

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius Confessoris non Pont. præter ea quæ hic habentur propria.

In II Vesperis Annuntiationis B. M. V. fit comm. S. Boni Latronis, ut infra.

Sicubi I Vesperæ integræ sint dicendæ : Antiphonæ de Laudibus, Psalmi ut in I Vesperis Apostolorum.

Capitulum

Luc. 23, 42-43

Dicébat latro ad Jesum : Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus : Amen, dico tibi : Hódie mecum eris in Paradíso.

Hymnus Jesu, ut ad Matutinum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum.

℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magn. Ant. : Ait latro ad latrónem : Nos quidem digna factis recípimus ; hic autem quid fecit ? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Oratio

Omnípotens et misérricors Deus, qui justíficas ímpios, Te súpplices exorámus : ut nos benígno intúitu, quo U-

nigénitus tuus beátum traxit Latrónem, ad dignam pœniténtiam pró voces; et illam, quam ei promisísti, tríbuas nobis glóriam sempitérnam. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Deinde fit comm. b. Didaci-Josephi a Gadibus C. I. O., et Feriæ.

Completorium de Dominica.

Ad Matutinum

Invit. Christum Regem Crucifíxum, qui latróni in Cruce Paradísum donat, * Veníte adorémus.

Hymnus

Jesu, coróna célsior,
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne præmium.

Da supplicánti cœtui,
Húius rogátu, nóxii
Remissiónem críminis,
Rumpéndo nexum vínculi.

Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmine,
Quo Sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.

Extra T. P.

Proínde te, piíssime,
Precámur omnes súpplices,
Nobis ut húius grátia
Pœnas remíttas débitas.

Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper sæculum.
Amen.

Temp. Pasch.

Ut sis perénne méntibus
Paschále Jesu gáudium,
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis,
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homilia 2 de Cruce et Latrone, tom. 3

Scio et ante me dixísse de latróne, sed habet divérsas intelligéntias Dei sermo. Iste latro de ligno mercátur salútem; hic latro furátur cæléste impérium. Vim facit majestáti, non virtúte própria, sed fide vincens. Ipsíus Dómini vox est: Regnum cælórum vim pátitur et violénti dirípiunt illud. In cruce duo latrónes, imágo Judæórum et Gentílium. Latro quem pœnitet, imáginem óbtinet pópuli ex Géntibus congregáti, qui príus in erróre ambuláverat, et post hoc veritátem agnóvit. Imáginem vero latro ille óbtinet Judæórum, qui usque in finem persevérat latro. Et usque ad tempus quidem crucis viam malignitátis iérunt: crux autem divísit utrúmque.

℟. Velum templi scissum est, * Et omnis terra trémuit: Latro clamábat de cruce, dicens: Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

℣. Petræ scissæ sunt, et monuménta apérta sunt, et multa córpora sanctórum, qui dormíerant, surrexérunt. - Et omnis.

Lectio v

Viam namque cæcitátis et perditiónis, qui non crédidit, ingréssus est: viam autem salútis, qui crédidit, adéptus est. In cruce dídicit latro differéntiam viárum, quóniam novit Dóminus viam justórum: via autem impiórum períbit. Et vide Dei justum judícium, ut dicas et tu cum prophéta: Justus es, Dómine, et rectum judícium tuum. Propter unum peccátum

damnátur Adam, et propter unam fídei vocem latro salvátur. Unum peccátum ejécit illum, et una justítia introdúxit istum; et latro habitátor factus est paradísi. O admiránda rerum matéries! Nec Ábrahæ data est per vocem repromíssio paradísi. Hereditávit quidem per fidem; repromissiónem autem paradísi nemo ante latrónem accépit.

℟. Nemo repromissiónem paradísi ante latrónem accépit, cui Dóminus in cruce dixit: * Hodie mecum eris in paradíso.

℣. Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. - Hodie.

Lectio vi

Iste ergo vidit Salvatórem non super throno regáli, non adorári in templo, non loquéntem de cælis, non per Ángelos disponéntem, sed in pœna sociátum latróni; videt in torméntis, et támquam in glória adórat; videt in cruce, et rogat quasi in cælis sedéntem; videt condemnátum, et regem ínvocat, dicens: Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Crucifíxum vides, et regem prédicas? In ligno pendére cernis, et cælórum regna meditáris? O admiránda latrónis convérsio!

℟. O admiránda latrónis convérsio! * Crucifíxum videt, et regem prédicat.

℣. In ligno pendéntem cernit et cælórum regna meditátur. - Crucifíxum. Glória Patri. - Crucifíxum.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 23

In illo témpore: Unus de his qui pendébant latrónibus, blasphemábat Jesum, dicens: Si

tu es Christus, salvum fac temetípsum et nos. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Sermo 49 de s. Latrone

Quóniam hódie Evangélii léctio de latróne fecit mentiónem, videámus quis iste latro sit, qui, in cruce Dómino constitúto, non solum peccatórum suórum véniam conséquitur, sed étiam paradísi amœnitáte donátur; ut qui propter scélera damnátus fúerat ad pœnam, propter fidem transferrétur ad glóriam; fuerítque illi crux, quam pértulit, non tam supplícii damnátio, quam salútis occásio. In cruce enim pósitus in Christum Dóminum nostrum crédidit crucifíxum. Et ídeo qui consórtio passiónis útitur, consórtio paradísi condonátur. Beátus enim latro, dum supplícium pátitur, regnum cæléste conséquitur. Ecce reus dícitur, sicut cui damnári illud tempus expetívit. Non enim perveníret ad glóriam, si non contráditus esset ad pœnam. Videámus, inquam, cur tantórum críminum reus tam cito a Salvatóre paradísum promerétur, cum álii multórum témporum lácrimis frequentibúsque jejúniis vix delictórum suórum véniam consequántur.

℟. Iste est beátus Latro, qui in cruce pósitus Christum Dóminum nostrum crédidit Crucifíxum: * Et dum supplícium pátitur, regnum cæléste conséquitur.

℣. Quem Judas Iscariótes in hórtulo paradísi distráxerat, iste in patíbulo confitétur. - Et.

Lectio viii

Magna, fratres, et múltiplex cáusa est. Primum, quod iste latro devotióne fídei tam repénte mutátus est, ut

præséntem pœnam despíceret, ac de futúra véniam precarétur; et magis créderet útile sibi esse de ætérno judício pétere, quam de temporáli supplício postuláre. Reminíscens enim scélerum suórum, et pœnitúdinem gerens, plus íncipit dolére quod sperat, quam sentíre quod pátitur. Pótuit enim, nisi de futúris ámplius cogitásset, qui in Christum semel credíderat, de præsénti magis supplício deprecári. Deínde illud ad grátiam ejus majóris est mériti, quod in Christum in cruce pósitum, crédidit, et pássio, quæ áliis scándalum fecit, illi ad fidem profécit. Crucis enim pássio multis scándalum fuit, sicut dicit Apóstolus: Nos autem prædicámus Christum Crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam. Recte ergo merétur paradísum, qui crucem Christi non putávit esse scándalum, sed virtútem. Dicit enim idem Apóstolus: Ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam.

℟. Iste est qui crucem Christi non putávit esse scándalum, sed virtútem; ideóque Paradísum merétur: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Iste est qui honorificat patiéntem, quem Judas pródidit osculántem. - Ipse. Glória Patri. - Ipse.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

Si autem hoc festum post Octavam Paschatis transferendum sit, et lectio ix alicuius officii commemorati non fuerit dicenda, erit sequens.

Lectio ix

Recte plane et Dóminus huic donat paradísum, quia quem Judas Iscariótes in hórtu-

lo paradísi distráxerat, hic in crucis patíbulo confitétur. Mira res! Confitétur latro, quem discípulus abnegávit. Mira, inquam, res! Latro honoríficat patiéntem, quem Judas pródidit osculántem. Ab hoc pacis blandiménta vendúntur, ab illo crucis vúlnera prædicántur. Ait enim: Meménto mei, Dómine, cum véneris in regnum tuum. Hæc est fídei plena devótio, ut, cum de vulnéribus Dómini prófluens sanguis cérnitur, tunc de potestáte ejus vénia postulétur; cum vidétur ejus humílitas, tunc magis timeátur ejus divínitas; cum morti addíctus putátur, tunc regis illi honorificéntia deferátur. Iste enim fidélis latro non crédidit moritúrum, quem annúntiat regnatúrum; non putat subdéndum ínferis, quem dominatórum confitétur in cælo; non arbitrátur eum apud tártarum detíneri, a quo se etiam póstulat liberári. Cernat licet ejus hiántia vúlnera, spectet ipsíus sánguinem profluéntem, Deum tamen credit, quem reum nescit; justum fatétur, quem non méminit peccatórem.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1. Latro * Christum crucifíxum vidébat, et Regem invocábat, dicens: Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum.

Psalmi de Dominica.

2. Qui me conféssus fúerit * coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

3. Cum conturbáta fúerit * ánima mea, Dómine, misericórdiæ memor eris.

4. Salvum me fecit * Christus Redémptor, qui dixit: Hódie mecum eris in paradíso.

5. Ille qui talis * ad crucem venit ex culpa,

ecce qualis a cruce recédit ex grátia.

Capitulum

Luc. 23, 42-43

Dicébat latro ad Jesum: Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen, dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso.

Hymnus

Jesu, Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Indúlgeas precántibus.

Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Huius celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

Huius benígnus ánnue
Confessiónem nos sequi:
Huius precátu, sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Extra Temp. Pasch.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

Temp. Pasch.

Ut sit perénne méntibus
Paschále, Jesu, gáudium,
A morte dira críminum
Vitæ renátos líbera.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sæmpitérna sæcula.
Amen.

℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine.
℟. Glóriam et magnum decórem imposuísti super eum.

Ad Bened. Ant. Ait latro ad latrónem: Nos quidem digna factis recípimus; hic autem quid fecit? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Oratio

Omnípotens et misérícors Deus, qui justíficas ímpios, te súpplices exorámus; ut nos benígno intúitu, quo Unigénitus tuus beátum traxit Latrónem, ad dignam pœniténtiam próvoces; et illam, quam ei promisísti, tríbuas nobis glóriam sempitérnam. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio b. Didaci-Josephi ac Feriæ.

Ad Horas minores Pss. ut in Festis.

Ad Tertiam

Capitulum ut ad Laudes.

℟. br. Amávit eum Dóminus * Et ornávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. - Et ornávit eum. Glória Patri. - Amávit.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei et ornávit eum.

℟. Et ad portas paradísi coronávit eum.

Ad Sextam

Capit. Is. 58

Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet: clamábis et dicet: Ecce adsum.

℟. br. Induit eum Dóminus lorícam fídei * Et ornávit eum. ℣. Et ad portas paradísi coronávit eum. - Et ornávit eum. Glória Patri. - Induit eum.

℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino.

℟. Et misericórdiam a Deo salutári suo.

Ad Nonam

Capit. Is. 38

Tu áutem, Dómine, eruísti ánimam meam, ut non períret; projecísti post tergum tuum omnia peccáta mea.

℟. br. Hic accípiet * Benedictiónem a Dómino. ℣. Et misericórdiam a Deo salutári suo. - Benedictiónem. Glória Patri. - Hic accípiet.

℣. Vitam pétiit a te,

et tribuísti ei, Dómine.

℟. Glóriam et magnum decórem imposuísti super eum.

In II Vesperis

Antiphonæ, Capitulum, Hymnus et versus ut ad Laudes. Psalmi ut in I Vesperis Apostolorum.

Ad Magnif. Ant. Impietas ímpii non nocébit ei, in quacúmque die convérsus fúerit ab impietáte sua.

Et fit comm. sequentis, beati Didaci-Josephi et Feriæ.

Completorium de Dominica.

Feria VI post Dominicam Passionis

SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Duplex 2 classis

CONSTANTINOPOLI: Titularis Ecclesiæ, duplex 1 classis, sed absque Octava ratione Quadragesimæ. Omnia ut in Breviario.

BETHPHAGE

DOMINICA PALMARUM

Nostræ Ecclesiæ Sanctuarii Titulum

Feria II infra Octavam Paschæ

EMMAUS

In Solemnitate

MANIFESTATIONIS CHRISTI RESURGENTIS

in Castello Emmaus peractæ

Duplex 1 classis

In I Vesperis

Ant. 1. Ecce duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Émmaus, allelúja.

Pss. ut in I Vesperis de Comm. Apost.

2. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant, allelúja.

3. Dum fabularéntur, et secum quærerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent, allelúja.

4. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Allelúja.

5. Respóndens unus, cui nomen Cléophas, di-

xit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Allelúja.

Capit., Hymn. et ℣. non dicuntur, sed eorum loco:

Ant. Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea.

Ad Magnif. Ant. Tu solus peregrínus es, et non audísti de Jesu Nazaréno, qui fuit vir Prophéta potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum? Allelúja.

Oratio

Deus, qui ad confirmándos in fide Resurrectiónis Discípulos tuos, Cléophæ ejúsque sócio in via apparére, et in fractióne Panis ab ipsis agnósci voluísti: tuum nobis, quæsumus, infúnde robur ac lumen; ut alácriter viam mandatórum inoffénso pede curréntes, immortális vitæ gáudia consequámur. Qui vivis.

Ad Completorium et ad omnes Horas servetur ritus peculiaris Octavæ Paschatis.

Ad Matutinum

Invitat. Cógnitus est Dóminus in fractióne Panis: * Allelúja.

Ps. Veníte, exsultémus.

Ad Nocturnum

Ant. Nos autem, dixérunt Cléophas et sócius ejus, sperabámus, quia Jesus esset redemptúrus Ísraël; et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt, allelúja.

Psalmi ut ad Matutinum in die Resurrectionis.

Ant. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt Prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum,

et ita intráre in glóriam suam? Allelúja.

Ant. Incípiens a Móyse, et ómnibus Prophétis, interpretabátur illis Jesus in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant, allelúja.

℣. Elóquium Dómini inflammávit illos, allelúja.

℟. Et Pane cæli saturávit eos, allelúja.

Absol. Exáudi, Dómine.

Bened. Evangélica léctio.

Lectio i

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 24, b.

In illo témpore: Duo ex Discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Émmaus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 23. in Evang.

Audístis, fratres carísimi, quia duóbus Discípulis ambulántibus in via, non quidem credéntibus, sed tamen de se loquéntibus, Dóminus appáruit: sed eis spéciem, quam recognóscerent, non osténdit. Hoc ergo egit foris Dóminus in óculis córporis, quod apud ipsos agebátur intus in óculis cordis. Ipsi namque apud semetípsos intus et amábant, et dubitábant: eis autem Dóminus foris et præsens áderat, et quis esset non ostendébat. De se ergo loquéntibus præséntiam exhíbuit: sed de se dubitántibus cognitiónis suæ spéciem abscóndit.

℟. Dóminus fácile vidétur ab his, qui díligunt eum; et invenítur ab his, qui quærunt illum, allelúja: * Quóniam dignos seípso cír-

cuit quærens, et in viis osténdit se illis hiláriter et in omni providéntia occúrrit illis, allelúja, allelúja.

℣. Jesus junxit se Discípulis suis in via, et ibat cum illis. - Quóniam.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio ii

Verba quidem cóntulit, durítiam intelléctus increpávit, sacræ Scriptúræ mystéria, quæ de seípso erant, apéruit: et tamen, quia adhuc in eórum córdibus peregrínus erat a fide, se ire lóngius finxit. Fíngere namque, compónere dícimus: unde et compositóres luti, fígulos vocámus. Nihil ergo simplex Véritas per duplicitátem fecit: sed talem se eis exhíbuit in córpore, qualis apud illos erat in mente. Probándi autem erant, si hi, qui eum etsi necdum ut Deum dilígerent, saltem ut peregrínum amáre potuíssent.

℟. Memóriam fecit mirabílium suórum, allelúja: * Misércors et miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se, allelúja, allelúja: * Virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo, allelúja, allelúja, allelúja.

℣. Cognovérunt discípuli Dóminum Jesum in fractióne Panis. - Misércors. Glória Patri. - Virtútem.

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Sed quia esse extránei a caritáte non póterant hi, cum quibus Véritas gradiebátur, eum ad hospítium quasi peregrínum vocant. Cur autem dícimus: vocant, cum illic scriptum sit: Et coëgérunt eum? Ex quo nimírum exémplo collígitur, quia peregríni ad hospítium non solum invitándi sunt, sed

étiam trahéndi. Mensam ígitur ponunt, panes cibósque ófferunt: et Deum, quem in Scriptúræ sacræ expositióne non cognóverant, in panis fractióne cognóscunt. Audiéndo ergo præcépta Dei illumináti non sunt, faciéndo illumináti sunt; quia scriptum est: Non auditóres legis justi sunt apud Deum, sed factóres legis justificabúntur. Quisquis ergo vult audíta intellígere, festínet ea, quæ jam audíre pótuit, ópere implére. Ecce Dóminus non est cógnitus dum loquerétur, et dignátus est cognósci dum páscitur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

Ant. 1. Appropinquavérunt Discípuli castéllo, quo ibant: et ipse Jesus se finxit lóngius ire, allelúja.

Ps. de Dominica.

2. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies, allelúja.

3. Intrávit cum illis, allelúja: et dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis, allelúja, allelúja.

4. Apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum, allelúja: et ipse evánuit ex óculis eórum, allelúja.

5. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, allelúja: dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? allelúja, allelúja, allelúja.

Ant. Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea.

Ad Bened. Ant. Surgéntes eádem hora, regréssi sunt ambo Discípuli in Jerúsalem, et invenérunt congregátos úndecim, et eos qui cum illis erant, allelúja: et ipsi narrábant quæ gesta erant in via, et quómodo cognovérunt eum

in fractióne Panis, allelúja, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad confirmándos in fide Resurrectiónis Discípulos tuos, Cléophæ ejúsque sócio in via apparére, et in fractióne Panis ab ipsis agnósci voluísti: tuum nobis, quæsumus, infúnde robur ac lumen; ut alácriter viam mandatórum inoffénso pede curréntes, immortális vitæ gáudia consequámur. Qui vivis.

In II Vesperis

Antiphonæ de Laudibus; Psalmi ut in I Vesperis de Comm. Apost., præter ultimum, cujus loco dicitur:

Psalmus 144

Exaltábo te, Deus meus, rex: * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi: * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus et laudábilis nimis: * et magnitúdinis ejus non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua: * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur: * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent: * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt: * et justítia tua exsultábunt.

Miserátor et misérikors Dóminus: * pátiens, et multum misérikors.

Suávis Dóminus univérsis: * et miseratiónes ejus super ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua: * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent: * et poténtiam tuam loquéntur:

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam: * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum: * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis: * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt: * et érigit omnes elísos.

Óculi ómnium in te sperant, Dómine: * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Áperis tu manum tuam; * et imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis: * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus ejus: * ómnibus invocántibus ejus in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet: * et deprecatiónem eórum exáudiet: et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se: * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * et benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum, et in sæculum sæculi.

Ant. Hæc dies, ut ad Laudes.

Ad Magnif. Ant. Duóbus ex Discípulis ambulántibus osténsus est Jesus in ália effígie, eúntibus in villam, allelúja: et illi eúntes nuntiavérunt céteris, allelúja, allelúja.

Die 9 Aprilis

EMMAUS

S. MARIÆ CLEOPHÆ VIDUÆ

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas, et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua de Communi unius non Virginis, præter ea, quæ sequuntur:

Oratio

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, sicut de beátæ Maríæ Cléophæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affféctu. Per Dóminum.

Et fit comm. præcedentis, b. Thomæ a Tolentino Mart. 1 O. et Feriæ in Quadragesima.

Lectiones I Nocturni Muliérem fortem, Tempore Paschali de Scriptura occurrenti. II et III Nocturni de Communi 1 loco. Lectio nona de Homilia Feriæ in Quadragesima, alias de b. Thoma.

Ad Laudes comm. b. Thomæ, et Feriæ in Quadragesima.

In II Vesperis fit comm. sequentis, b. Thomæ et Feriæ in Quadragesima.

Die 23 Aprilis

BOLACCI IN CAIRO

S. GEORGII MARTYRIS

Contitularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia de Communi unius Martyris Tempore Paschali.

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius, ut qui tua per eum benefícia póscimus; dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Lectiones I Nocturni

Fratres, debitóres, ut in Comm. plurium Martyrum, cum ℟.℟. tamen unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

De Sermóne s. Lauréntii Justiniáni

Geórgius propugnátor exímius terrénæ abrenuntiávit milítiæ, ut Christi miles efficerétur egrégius; facultátes, quas habébat, dispérsit paupéribus, ut divítias perénnes possidéret in cælo; suam quoque ánimam odívit in mundo, ut in vitam illam custodíret ætérnam. Repérerat pretiósam margarítam latitántem in agro,

per quod, distráctis ómnibus, mercátus est eam. Dóminum dixísse audíerat: Nisi quis renuntiáverit ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus; prætulit discipulátum Christi ópibus, honóribus, voluptátibus, córpori et temporáli vitæ, ídeo intrépidus, armátus et nudus secútus est Christum. Non cárceres, gládios, fustes, víncula, acúleos, tortóres, ignem, tyránnos expávit, nec mortem; nudus nudum Christum attendébat in stípite: illíus accendebátur exémplo, ejúsque passiónis dolóribus angebátur. O beáta mens Mártyris! quæ nec tribulatióne, nec angústia, nec plagis, nec labóribus, nec præséntibus, nec futúris a Christo váluit separári.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja.

℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum; gáudium et exsultatiónem obtinébunt. - Et ætérnitas.

Lectio v

Vivébat in carne, et corde cum Christo jam pendébat in Cruce, ideóque dicébat Christo: Cruci confíxus sum; vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus. Longe excelléntius Martyr, sic mórtuus vivébat in Christo, quam si felíciter florens, aliénus esset a Christo. Vides, quam lócuples talis sit mors, quæ vitam cum Christo præstat ætérnam; sic plane mórtuus erat beátus Geórgius vivens in Christo. Mórtuus quippe erat vítiis, mórtuus erat sæculo, mórtuus erat et sibi. Nisi táliter fuísset mórtuus, mínime Christo vívere potuísset. An non mórtuus erat sæculo, qui oblátas dignitátes et gáudia, pro amóre Christi et spe æter-

næ mercédis, repudiávit ut stércora? Nonne vítiis erat defúnctus, qui labóribus, abstinéntia, paupertáte, virtutibúsque céteris corpus quotidiána maceratióne domábat? De tálibus Páuli voce dícitur: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixére cum vítiis, et concupiscéntiis. Quómodo vero sibi ipsi vixísse sanctus iste dicéndus est, qui verbum Dei circumquáque disséminans, Christi glóriam audiéntium áuribus insonábat? Quos valébat auférre diábolo, lucrabátur Christo. Magnanimitáte namque præcínctus, et caritátis dono suffúltus, coram régibus et terræ princípibus Christum líbera confitebátur voce.

℟. In servis suis, allelúja, * Consolábitur Deus, allelúja, allelúja.

℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. - Consolábitur.

Lectio vi

Hinc factum est, ut cárceri manciparétur, virgis, et scorpiónibus cederétur, lampadárum ustiónibus cremarétur, laniarétur, torquerétur, perimerétur. In his, quóniam vivébat Christo, se exhibébat ut mórtuum. Nulla plane in illo quærimóniæ resonábat vox, nullus repugnándi motus. Tamquam bellátor præcípuus, arbitrátus est fore incóngruum, ut, patiénte Rege, atque pro animárum occumbénte salúte, ipse ségniter víveret, et sine certáminis exercitatióne defíceret; frequénter ánimo illud evangélicum revolvébat: Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Quam ob rem dilectiónem, quam habébat ad Dóminum, factis máluit osténdere, quam verbis. Redemptórem útique suum, non ingrátus de múnere, est

imitátus in morte, de quo ait Prophéta : Sicut ovis ad occisiónem ductus est, et tamquam agnus coram tondénte se sine voce, sic non apéruit os suum. Obmútuit plane iste, et os suum, nonnísi orándo, apéruit, quátenus hóstia Deo acceptábilis fíeret, nec illi in longanimitáte patiéntiæ invenirétur dissímilis, qui in Crucis perpessióne supplícii elóquium nullum contradictiónis emísit. Hinc gestum est ut, Dómini sui, sicut sócius éxtitit pœnæ, ita párticeps illíus efficerétur glóriæ, qui in cælésti regno cum Patre, et Spíritu sancto triúmphat in sæcula.

℟. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, allelúja.

℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. - In die. Glória. - In die.

In III Nocturno Homilia in Evang. Ego sum vitis vera, ut in Communi Mart. T. P. 1 loco.

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas; concéde propítius, ut qui tua per eum benefícia póscimus; dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio b. Ægidii C. I O. tantum.

In II Vesperis comm. sequentis.

De Octava fit commem. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus I et II classis exceptis.

Die 25 Aprilis

IN ÆGYPTO

S. MARCI EVANGELISTÆ

Patroni principalis

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario.

De Octava fit commemoratio quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus I et II classis exceptis.

Die 30 Aprilis

BOLACCI IN CAIRO

OCTAVA S. GEORGII MARTYRIS

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas, et ỳ ỳ. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die; reliqua, quæ non sunt hic propria, de Communi unius Martyris Tempore Paschali.

Oratio ut supra.

In I Vesperis fit Comm. præcedentis, s.

Josephi-Benedicti Cottolengo C. 3 Ord., s. Catharinæ Senensis V., et Octavæ S. Marci Ev.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

De Sermóne sancti Ambrósii Epíscopi

Sermo 74

Et licet nos in resolutióne córporis mortis umbra circúmdet: tamen gressus suos vita non déserit, sed inter ipsas médias inférni leges incunctánter Christi virtútibus ambulámus. Unde ait sanctus Prophéta: Nam et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, quóniam tu mecum es. Quod maniféstius Dóminus ait de fidéli, dicens: Qui autem credit in me, non moriétur in ætérnum, et licet moriátur, vivet.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, * Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja.

℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum; gáudium et exsultatiónem obtinébunt. - Et.

Lectio v

Ergo, fratres, cum sanctis Martýribus Paschæ Dómini glóriam conferámus; conferámus, inquam; et licet mélius nóverint ómnia, tamen nos illis prædicémus, quemádmodum de sepúlcri grémio resurréxit ad súperos. Illi nobis revélent, quo pacto de inférni profúndo remeáverit ad sepúlcrum. Notum, inquam, nobis fáciant quemádmodum in exánime jam corpus et frígidum sese calor insinuáverit, spíritus ingésserit, sánguis infúderit, et gelátas humóre venas prístini vigóris pulsus agitáverit.

℟. In servis suis, allelúja, * Consolábitur Deus, allelúja.

℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. - Consolábitur Deus, allelúja.

Lectio vi

Notum, inquam, nobis fáciant, quemádmodum órganum córporis dissipátum, in priórem statum nervórum rursus coaptáverit resolúta compágo; et harmóniam víscerum jam siléntem in véterem concéntum spíritus vivíficans animáverit. Sacerdótes ergo prædicent quæ Salvátor post resurrectiónem mirabília gessit ad súperos; Mártyres revélent quanta in ipsa morte refrigéria operátus sit in defúnctos.

℟. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, allelúja.

℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. - In die. Glória. - In die.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Cap. 15 - 1, 17

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni

Lib. 10, cap. 14 in Joan.

Ea de cáusa vitem se appellásse manifége Dóminus osténdit, ut quasi óculis hoc exémplo cernerémus, manéntes in eo ut pálmites, ex vite humóre tracto, spiritálem posse fructum afférre: resilientes vero ab eo, vel quia in fide, vel quia in servatióne mandáti defíciant, non modo nihil fructus productúros, sed ætérnum étiam ignem pas-

súros. Qui enim a pietáte vel caritáte Christi décidit, supplíciis seípsum trádit, sicut decísus palmes ad nihil áliud, quam ad ignem útilis est.

℟. Ego sum vitis vera, * et vos pálmites: Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja.

℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. - Qui manet.

Lectio viii

Radícem supérnæ benevoléntiæ ac firmaméntum esse ait, si quasi spiritále depósitum Evangélicæ disciplínæ dógmata et mandáta servárint. Servántibus autem sine mora petíta bona pollicétur affutúra. Si mansériti, inquit, in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis. Fíeri enim potest, ut in Christo máneas, et verba ejus in te non hábeas. Duplex enim via est, per fidem et caritátem, propter quam mandáta servántur.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúja; splendórem Deo dedérunt, allelúja: * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúja, allelúja.

℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, zapphíro pulchrióres. - Et sicut. Glória Patri. - Et sicut.

Lectio ix

Pro s. Josepho Benedicto Cottolengo

Joséphus Benedíctus Cottoléngo, in urbe Bráida, Taurinénsis diœcésis, piis paréntibus hortum hábuit. Vix octo annos natus de infírmis juvándis cogitáre cœpit. Exácto studiórum currículo, sacerdó-

tio fuit áuctus, et in sacris disciplínis láurea doctóris insignítus, in Collegiáta Sanctíssimæ Trinitátis, inter Canónicos e Congregatióne sanctíssimi Córporis Dómini méruit cooptári. Augústæ Taurinórum Parvam Domum, sub título Divínæ Providéntiæ, cui se pénitus commíserat, excipiéndis infírmis ac míseris omnis géneris, præsértim autem aliúnde repúlsis, accomodátam, fundáre satégit; ad quod salubérrimum opus instituéndum, eídem occasiónem præbuit misérrima cujúsdam mulíeris condício, ab ómnibus rejéctæ, et ope beátæ Maríæ Vírginis, quam semper impénse cóluit, votum suum adimpléri sensit. Ómnibus ómnia factus, ægrótos cujúslibet condiciónis in unum coégit, nutrívit et curávit. Plures cœtus ac famílias sacrárum vírginum et piórum virórum instituit. Tértii Órdinis sancti Francísci sincérus alúmnus amórem erga divínam Eucharístiam et Christi passiónem in se et in áliis assídue fovére stúduit. Contumélias, ludíbria, æquo ánimo tulit et singulárem ánimi hilaritátem cum fortitúdine conjúnxit. Plenus méritis, Chérii óbiit in Christo, die trigésima aprílis, anno millésimo octingentésimo quadragésimo secúndo, ætátis suæ sexto et quinquagésimo. Hunc Dei fámulum, virtútibus et miráculis clarum, a Benedícto Papa décimo quínto inter Beátos relátum, Pius undécimus, anno sacro millésimo nongentésimo trigésimo quarto Sanctórum fastis adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde pro-

pítius; ut, qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio s. Josephi-Ben. Cottolengo, s. Catharinæ V., ac Octavæ s. Marci Evangelistæ.

Vesperæ sequentis, comm. præc., s. Josephi-Ben. Cottolengo, ac s. Catharinæ V.

Dominica II post Pascha

JERICHO

FESTUM BONI PASTORIS

Ecclesiæ Titularis

Duplex 1 classis cum Octava communi

In I Vesperis

Ant. Allelúja, allelúja, allelúja.

Psalmi de Dominica: Dixit Dóminus etc., sed loco ultimi Ps. 116: Laudáte Dóminum omnes Gentes. Capitulum et reliqua ut in Sabbato ante Dominicam II post Pascha.

Completorium de Dominica.

Ad Matutinum et reliquas Horas Officium fit de Dominica, ut in Psalterio et Proprio de Tempore, sed ritu duplici et Psalmi ad Primam ut in Festis.

De Octava fit commemoratio quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus I et II classis exceptis.

Dominica III post Pascha Officium fit de Dominica, cum commemoratione diei Octavæ in utrisque Vesperis et Laudibus (S. R. C. 26 martii 1924).

Die 1 Maji

IN PATRIARCHATU HIEROSOLYMITANO

S. JACOBI APOSTOLI

Diœceseos Patriarchalis
Primi Episcopi et Patroni Principalis

ac S. PHILIPPI APOSTOLI

Duplex 1 classis

Officium ut in Breviario; in Oratione autem præponitur nomen s. Jacobi, et in II Nocturno Lectiones IV et V Jacóbus, VI Philíppus.

In II Vesperis commemoratio sequentis.

Die 2 Maji

IN ÆGYPTO

S. ATHANASII EP. CONF. DOCTORIS

Duplex 2 classis

Omnia ut in Breviario et in Communi unius Conf. Pontificis et Doctoris. In I Vesperis et in Laudibus fit Comm. diei Octavæ s. Marci Evangelistæ.

Lectiones I Nocturni Sapiéntiam, de Communi Doctoris.

Vesperæ sequentis, comm. præced. ac diei octavæ s. Marci Ev.

Die 3 Maji

HIEROSOLYMIS

INVENTIONIS SS. CRUCIS

Duplex 1 classis

Omnia ut in Breviario, sed nihil fit de ss. Martyribus.

Die 25 Maji

WASHINGTON

DEDICATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS

Duplex 1 classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ, et ad Laudes tantum fit comm. s. Gregorii Pp. VII.

In II Vesperis fit comm. sequentis Dedicationis Basilicæ Assisiensis S. P. N. Francisci (ex heri), Translationis Seraphici Patris, b. Mariæ-Annæ V. 3 Ord., ac s. Philippi Nerii C.

Die 11 Junii

CYPRI in INSULA

S. BARNABÆ APOSTOLI

Patroni principalis

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario, omissa commemoratione præc. in I Vesperis.

In II Vesperis fit commemoratio sequentis tantum.

De Octava fit commemoratio quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus 1 et 2 classis, ac diebus infra Octavam Pentecostes exceptis.

Die 13 JUNII

S. ANTONII PATAVINI CONF. I. ORD.

ALMÆ CUSTODIÆ TERRÆ SANCTÆ PATRONI PRINCIPALIS

JOPPE, in hospitio homonymo, TYRI, SALAHIE DAMASCI, in hospitio homonymo, et RAMLEH-BACOS IN ÆGYPTO

Ecclesiarum Titularis

Duplex 1 classis cum Octava communi.

Omnia ut in Breviario, ac de eo fit Commemoratio quotidie in Vesperis et in Laudibus,

duplicibus 1 et 2 classis ac diebus infra Octavam Pentecostes exceptis.

In II Vesperis fit commemoratio sequentis.

Die 18 Junii

CYPRI in INSULA

OCTAVA S. BARNABÆ APOSTOLI

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua de Comm. Apostolorum extra T. P., præter ea quæ sequuntur.

Oratio

Deus, qui nos beáti Bárnabæ Apóstoli tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius, ut qui tua per eum benefícia póscimus; dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Et fit comm. præcedentis festi s. Theophili, s. Ephrem C. D., Octavæ s. Antonii Patavini, ac ss. Marci et Marcelliani MM., ut in Breviario.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti. In II Noct. Lectiones Fundaménta, de Comm. Apostolorum 2 loco.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cap. 10, 16-22

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecco ego mitto vos sicut oves in medio lupórum. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Hom. 34 in Matth. post init.

Diligénter considéra qui sunt qui hæc ardua et laboriósa ádeunt, formidolósi vidélicet et indócti, illiteráti, rudes, obscúri quidam hómines et ignóti, qui nunquam philosophórum percepérunt institúta, vixque unquam in forum descendérunt, piscatóres et publicáni, multis repléti rebus, quæ jure ánimos eórum possent dejícere. Nam si magnos et claros viros tanta difficúltas rerum potuísset commovére, quómodo non potuísset imperítos hómines, quibus nullíus rei magnæ áliquid venit in mentem? sed non dejécit neque turbávit: nec id injúria, dicet quíspiam: cum se intellígerent posse leprósos mundáre, dæmónia ejícere.

℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Cálicem.

Lectio viii

Ego autem dícere non dubitárim, quia vidélicet idípsum jure debebat ipsos conturbáre, quóniam qui tantam potestátem habérent, ut defúnctos étiam a morte possent excitáre, hi tanta perícula essent subitúri, tanta bella gestúri, ad júdices vincti deducéndi, commúnis dénique totíus orbis admonítio futúri. Quæ ígitur in ómnibus his erat consolátio? Sola mitténtis virtus. Quocírca ita signánter incépit: Ecce ego mitto vos. Suffíciat hoc vobis ad omnem consolatiónem, satis sit ad confiténdum. Vides, quanta ejus est auctóritas? Intélligis, quóniam

máxima sit potéstas? Pércipis inexpugnábilem ejus esse virtútem?

℟. Isti sunt viri sancti quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia ut sole luna.

℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. - Quorum. Glória. - Quorum.

Lectio ix

Pro s. Ephræm Syro Diacono et Eccl. Doct.

Ephræm, génere Syrus, Nisibéno patre natus est. Adhuc júvenis ad sanctum Jacóbum epíscopum se cóntulit, a quo baptizátus, brevi ita sanctitáte et doctrína profécit, ut in schola Nísibi, Mesopotámiæ urbe, florénte magíster fúerit constitútus. Edessénæ Ecclésiæ diáconus ordinátus, et ob humilitátem sacerdótium recúsans, ómnium virtútum splendóre enituit, et pietátem et religiónem vera sapiéntiæ professióne sibi compárare satégit. Univérsa illíus ópera, tam spléndido doctrínæ lúmine referta, effecérunt, ut idem sanctus, adhuc vivens, tamquam Ecclésiæ Doctor. magno honóre hábitus fúerit. In mirífica ac pia devotióne erga Vírginem immaculátam primum excélluit. Méritis plenus, Edéssæ in Mesopotámia, décimo quarto Kaléndas Júlii, decéssit sub Valénte príncipe: eúmque Benedíctus Papa décimus quintus, ex sacrórum Rituum Congregatiónis consúlto, universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Bárnabæ Apóstoli tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius, ut qui tua per

eum benefícia póscimus; dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio s. Ephræm C. D., Octavæ s. Antonii Patav., ac ss. Marci et Marcelliani MM.

In II Vesperis fit commem. sequentis, s. Ephræm Doct., Octavæ s. Antonii, ac ss. Martyrum Gervasii et Protasii.

Die 20 Junii

In Octava S. ANTONII PATAVINI Conf. I. Ord.

Duplex majus

Antiph. et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in festo, præter sequentia.

Oratio

Subvéniat plebi tuæ, quæsumus, Dómine, præclári confessóris tui beáti Antónii devóta et júgis orátio; quæ in præsénti nos tua grátia dignos effíciat; et in futúro gáudiis donet ætérnis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio præced., b. Michelinæ a Pisauro Vid. 3 Ord. ℣. Specie, ac s. Silverii Pp. M.

Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Bonaventúræ Epíscopi

Sermo de s. Antonio Patav.

Iste páuper clamávit, et Dóminus exaudívit

eum. Forma autem paupertátis perfectíva, in qua ambulávit páuper iste, scílicet beátus Antónius, consúrgit ex quadrúplici condicióne. Ad hoc enim quod paupértas sit perfécta, necésse est quod sit alta et profúnda, lata et longa, ut sic possit homo comprehéndere cum ómnibus Sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas et profúndum. Primo, debet paupértas esse alta ex professiónis eminéntia; secúndæ ad Corínthios octávo: Altíssima paupértas eórum abundávit in divítias simplicitátis eórum. Alta quidem est paupertátis perféctio in qua nihil possidétur in speciáli, sed ómnia in commúni; áltior, in qua nihil in speciáli, non tamen ómnia, sed áliqua in commúni; altíssima vero in qua nihil in speciáli, nihil in commúni. Hanc proféssi sunt Fratres Minóres et beátus Antónius; et ídeo in Régula dicit beátus Francíscus: Hæc est illa celsitúdo altíssimæ paupertátis, quæ vos, caríssimos fratres meos, herédes et reges regni cælórum instítuit, páuperes rebus fecit, virtútibus sublimávit. Hanc paupertátem hábuit Christus. Hanc étiam habuérunt Apóstoli; præcéperat enim eis Dóminus ut nullam habérent sollicitúdinem, Matthæi sexto: Nolíte sollíciti esse dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Qui pascit aves et vestit lília, vos véstiet et pascet sine sollicitúdine. Si ergo Dóminus, inter Judæos duros et incrédulos, discípulos suos pascébat sine sollicitúdine, quid mirum, si nunc pascat Fratres Minóres, ejúsdem perfectiónis professóres inter pópulos jam fidéles?

℟. Plenus sapiéntiæ, fastum qui supérbiæ,

húmilis, timébat; sub indócti facie * Tantum in se grátiæ lumen abscondébat.

℣. Ex se pondus glóriæ sibi voluntárie súmere nolébat. - Tantum.

Lectio v

Paupértas debet esse profúnda ex subjectiónis obediéntia, secúndum illud Isaíæ sexagésimo sexto: Ad quem respíciam nisi ad paupérculum et contrítum spíritu et treméntem sermónes meos? In quo osténdit Dóminus quod nullam díligit paupertátem, nisi hábeat conjúnctam humilitátem; paupértas enim supérba, et Deo et homínibus est odiósa. Páuper enim supérbus est hypócrita; est etiam apóstata; immo, ut ita dicam, est quasi quædam pestiléntia. Non talem paupertátem amat Dóminus, sed paupertátem húmilem. Talis páuper fuit beátus Antónius, qui in omni génere vilitátis et humilitátis diligentíssime fuit exercitátus, secúndum quod de eo legítur: Magis se exercitávit in princípio suæ conversiónis in scutéllis lavándis, quam in Scriptúris perscrutándis.

℟. Páuperum collégio, páuper in princípio, spíritu probátus; verbi ministério, * Non affectu próprio datus, sed vocátus.

℣. A quo sit hæc actio, fiunt testimónio mors et incolátus. - Non.

Lectio vi

Tértio, debet paupértas esse lata ex tribulatiónis abundántia. Paupértas enim, ubi est abundántia tribulatiónum, in bona ánima parit abundántiam consolatiónum. Talis ánima est dives, quia qui gloriántur in paupertáte, multo magis in abundántia sunt; et propter hoc Apóstolus dicit, secúndæ ad Corínthios

sexto: Sicut egéntes, multos autem locupletántes: tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes. Quárto, paupértas debet esse longa ex supportatiónis perseverántia; Psalmus: Páuper sum ego et in labóribus a juventúte mea. Sum, dicit, et non: Fui, quia paupértas semper erat ei præsens, et in prætéritum non transíbat. Talem paupertátem hábuit beátus Antónius, quóniam ab infántia sua usque in finem non déstitit esse páuper. Et ídeo, quia usque in finem perseverávit, remuneratiónem obtínuit, secúndum quod de eo cantátur: Ecce vides coronátum, quem vidísti minorátum, saccóque tectum véteri. Hæc est ígitur paupértas perfécta et excéllens, quæ habet quadrúplicem condiciónem prædíctam, quæ conclúdit in se totíus evangélicæ perfectiónis summam. Et quóniam hæc fuit in beáto António, ídeo recte potest dici de ipso: Iste páuper clamávit, et Dóminus exaudívit eum.

℟. In doctrínæ póculis justus, sua síngulis reddens, affluébat; loquens magnis párvulis. * Veritátis jáculis æque feriébat.

℣. Pótior miráculis, virtus hæc in óculis ómnium clarébat. - Veritátis. Glória Patri. - Veritátis.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cap. V, 13, 19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Isidóri Epíscopi

Lib. 3 Sent. cap. 36

Tam doctrína quam vita clarére debet ecclesiásticus doctor: nam

doctrína sine vita arrogántem reddit, vita sine doctrína inútilem facit. Sacerdótis prædicátio opéribus confirmánda est ita, ut quod docet verbo, ínstruat exémplo. Vera est illa doctrína, quam vivéndi séquitur forma; nam nihil túrpius est quam si bonum, quod quisque sermóne prædicat, explére ópere négligat. Omnis útilis doctor plébibus subiéctis ita se præstáre debet atque insístere doctrínæ, ut quanto claret verbo, tanto claréscat et mérito; nam quod Apóstolus Timótheo præcipit cum omni império docére, non hortátur ad tumórem supérbiæ, sed ad bonam actiónem et vitæ auctoritátem, vidélicet, ne libertátem pérderet prædicándi, si bene docéret et male víveret. Unde et Dóminus: Qui sólverit unum de mandátis istis mínimis, et sic docúerit, mínimus erit in regno cælórum. Vides, quod auctoritáte magistérii caret, qui, quod docet, non facit. Sicut in numísmate metállum, figúra et pondus inquíritur; ita in omni doctóre ecclesiástico, quid sequátur, quid dóceat, quómodo vivat.

℟. Vitam probant vítitas, simplex innocéntia, cura disciplínæ; * Zelo juncta cáritas, véritas, modéstia, testes sunt doctrínæ.

℣. Sed signórum cláritas cómprobat hæc ómnia múltiplex in fine: - Zelo.

Lectio viii

Cap. 42, n. 1, 2

Qui præfícitur ad régimen, táliter erga disciplínam subjectórum præstáre se debet, ut non solum auctoritáte, verum etiam humilitáte claréscat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitátis, ne dissolvátur vita subditórum in vítiis; atque ita auctóritas áderit potestátis, ne per tu-

mórem cordis sevéritas exsístat immoderatiónis. Hæc est enim in Dei sacerdótibus vera discrétio, qua nec per libertátem supérbi, nec per humilitátem remíssi sunt. Hinc est, quod sancti cum magna constántia redarguérunt étiam príncipum vítia; in quibus cum summa esset humílitas loco tamen necessário líbere transgressóres justítiæ increpábant. Aliquándo étiam súbditis nos opórtet ánimo esse humilióres, quóniam facta subditórum judicántur a nobis, nostra vero Deus júdicat.

℟. Si quæris mirácula, mors, error, calámitas, dæmon, lepra fúgiunt, ægri surgunt sani: * Cedunt mare, víncula; membra resque pérditas petunt, et accípiunt júvenes et cani.

℣. Péreunt perícula, cessat et necéssitas: narrent hi qui séntiunt, dicant Paduáni! - Cedunt. Glória Patri. - Cedunt.

Lectio ix

Pro b. Michelina a Pisauro, Vid.

Michelína, Pisáuri orta est illústri família et egrégiam índolem nacta, paréntum exémplo ad pietátem incendebátur. Duodecénnis jam nupta, exáctis in casto conjúgio octo annis, maríti et dein únici fílii mortem forti ánimo tulit. Vanas mundi pertæsa delícias, Tértio Órdini sancti Francísci nomen dedit, facultatésque suas paupéribus erogávit, ac cæléstium rerum contemplatióni et omni sui abnegatióni vacábat, únice cúpiens pati et contémni pro Christo. Præcípue caritáte erga ægrótos flagrábat. A peregrinatióne Palæstinénsi ad loca vestígiis et sánguine Redemptóris consecráta in pátriam redux, pietátis, pœniténtiæ caritatísque opéribus satégit óperam dare. Demum in Dómi-

no obdormívit, decimo tértio kaléndas Júlias, anno millésimo trecentésimo quinquagésimo sexto, ætátis suæ quinquagésimo sexto. Cultum immemorábilem Clemens Papa duodécimus approbávit.

Te Deum laudámus.

Oratio

Subvéniat plebi tuæ, quæsumus, Dómine, præclári Confessóris tui beáti Antónii devóta et jugis orátio: quæ in præsénti nos tua grátia dignos effíciat; et in futúro gáudiis donet ætérnis. Per Dóminum.

Et fit commem. b. Michelinæ Vid., ac s. Silverii Pp. M.

In II Vesperis fit commem. sequentis et b. Michelinæ Vid.

Die 25 Junii

IN MONTANIS JUDÆÆ ET PTOLEMAIDE

S. JOANNIS BAPTISTÆ

Ecclesiarum Titularis

Omnia ut in Breviario.

Die 29 Junii

JOPPEN AD MARE, HARISSÆ ET TIBERIADE

SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM

Ecclesiarum Titularis

Omnia ut in Breviario.

Feria V post Octavam Pentecostes

IN SACRO MONTE SION

FESTUM SS. CORPORIS CHRISTI

Titularis Ecclesiæ

Omnia ut in Breviario.

Feria VI post Octavam Corporis Christi

LAODICEÆ, IBRAHIMIEH IN ÆGYPTO ET APUD MONIALES CLARISSAS

FESTUM SS. CORDIS JESU

Ecclesiarum Titularis

Omnia ut in Breviario.

Die 2 Julii

IN MONTANIS JUDÆÆ

VISITATIONIS B. M. V.

Titularis nostræ Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario, omissa comm. et nona lectione SS. Martyrum.

In II Vesperis commem. sequentis.

De Octava fit commemoratio quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus.

Die 9 Julii

In Montanis Judææ

In Octava VISITATIONIS B. M. V.

Duplex majus

Antiph. et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Communi Festorum B. M. V., præter ea quæ sequuntur.

In I Vesperis

℣. Benedícta tu in muliéribus.

℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Beáta es, María, quæ credidísti! perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúja.

Oratio

Fámulis tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxstitit salútis exórdium; Visitatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Et fit comm. præc. festi s. Elisabeth, ac s. Nicolai et Soc. Mm., ut in Breviario.

Ad Matutinum

Invit. Visitatiónem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

De Expositióne sancti Gregórii Papæ in libro Regum

In I Reg., 1

Fuit vir unus de Ramáthaim Sophim, de

monte Éphraim. Potest hújus montis nómine beatíssima semper Virgo María, Dei Génitrix designári. Mons quippe fuit, quæ omnem eléctæ creatúræ altitúdinem, electiónis suæ dignitáte transcéndit. An non mons sublímis María, quæ ut ad conceptiónem ætérni Verbi pertíngeret, meritórum vérticem supra omnes Angelórum choros, usque ad sólium Deitátis eréxit? Hujus enim montis præcellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans, ait: Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríæ supra omnes Sanctos refúlsit.

℟. Ecce iste venit, sáliens in móntibus, transíliens colles. * Símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum.

℣. Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, a summo cælo egréssio ejus. - Símilis est.

Lectio v

Ex Epístola sancti Leónis Papæ ad Pulchériam Augústam

Ep. 13, ante med.

Sacraméntum reconciliatiónis nostræ, ante témpora ætérna dispósitum, nullæ implébant figúræ: quia nondum supervénerat Spíritus Sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera, ædificánte sibi Sapiéntia domum, Verbum caro fíeret, et forma Dei ac forma servi in unam conveniénte persónam, Creátor témporum nascerétur in témpore, et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem, et consub-

stantiális Patri, consubstantiális esse dignarétur et Matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret, sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. - Et de meis.

Lectio vi

De Expositióne sancti Basilíi Epíscopi in Isaíam Prophétam

In cap. 8, post init.

Accéssit, inquit, ad prophetíssam et in útero accépit, et péperit fílium. Quod María Prophetíssa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaías per prænotiónem spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríæ, quæ prophético affláta spíritu locúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accomodáveris univérsis ejus verbis, non útique contentióse negáveris eam fuísse Prophetíssam, quod Dómini Spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

℟. Beáta quæ credidísti! quóniam perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: * Magníficat ánima mea Dóminum.

℣. Veníte, et audíte, et narrábo quanta fecit Deus ánimæ meæ. - Magníficat. Glória Patri. - Magníficat.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. I - 39, 47

In illo témpore: Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda; et intrávit in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis

De Verb. Apoc. 12, circa finem

Mirabátur Elísabeth persónam veniéntis, dicens: Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Commendábat et vocem salutántis, adjíciens: Ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beatificábat fidem credéntis: Beáta, ínquiens, quæ credidísti. Magna quidem præcónia, sed et devóta humílitas, nihil sibi passa retinére, in eum magis univérsa refúdit, cujus in se benefícia laudabántur.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes; * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia.

Lectio viii

Tu, inquit, magníficas Matrem Dómini: sed, Magníficat ánima mea Dóminum. In voce mea fílium pérhibes exsultásse in gáudio: sed, Exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: et ipse quoque tamquam amícus sponsi gáudet ad vocem sponsi. Beátam me esse dicis, quæ crédidi: sed credulitátis et beatitúdinis cáusa respéctus est supérnæ pietátis: ut ex hoc magis beátam me

dicant omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem et exíguam respéxit Deus.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni láude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Visitatiónem. - Quia. Glória Patri. - Christus.

Lectio ix

Pro ss. Nicolao et decem Soc. Mm. I Ord.

Anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, undevigínti Mártyres, vulgo Gorgomiénses, in cruciátibus pro asserénda reáli Jesu Christi in Eucharístia præséntia et Románi Pontíficis primátu sustinéndis singuláriter enituérunt. Erant ii úndecim ex Órdine Minórum: Nicoláus Píckius Guardiánus, cum áliis octo Sacerdótibus, Hierónymo Vicário, nempe, ac Wilhádo, Nicásio, Theodoríco, António, Godefrído, Francísco et áltero António, ac duóbus láicis, Petro et Cornélio. His úndecim adjécti sunt tres párochi; unus sacérdos sæculáris; bini Præmonstraténses; Canónicus Reguláris sancti Augustíni unus, et Dominicánus unus. Qui omnes, quamvis eórum áliquot septuagésimum jam annum excessíssent, Wilhádus autem nonagésimum attigísset, a Calviniánis hæréticis carcéribus, contuméliis et váriis dirissimísque torméntis, per plures díes ac noctes, cruciabántur primum Gorgómii, deínde Dordráci. Briélam tandem addúcti, cum nec minis, nec lenocíniis invíctam eorum for-

titúdo flecti potuísset, ínvicem se ad martýrium exhortántes et Deo grátias agéntes, gloriósum pro Christo certámen, adstríctis láqueo fáucibus, consummárunt, séptimo Idus Júlias. Hos miráculis claros Summus Póntifex Clemens décimus beátis, Pius vero nonus sanctis Martýribus solémniter adnumerávit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Benedícta tu in muliéribus.

℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Benedictus Ant.: Cum audísset salutatiónem Maríæ Elísabeth, exclamávit voce magna et dixit: Unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me? Allelúja.

Oratio

Fámulis tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre: ut quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium; Visitatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Et fit commemoratio ss. Martyrum ut in Breviario.

In II Vesperis

℣. Benedícta tu in muliéribus.

℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Ad Magnif. Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus, allelúja.

Et fit commem. sequentis, ss. Martyrum Gorgomiensium, ac Septem Fratrum Martyrum, ut in Breviario.

Die 10 Julii

DAMASCI

BB. EMMANUELIS RUIZ ET SOCIORUM

Martyrum I. Ordinis

Duplex 2 classis

ob Eorum Martyrium ac Sepulcrum

Omnia ut in Communi plurium Martyrum et in Breviario.

In I Vesperis fit comm. præced. et ss. Septem Fratrum Mm.

Lectiones 1 Nocturni Fratres, Debitóres.

In II Vesperis commemoratio sequentis, ac ss. Martyrum tantum.

Die 14 Julii

ER RAM ALEPPI

S. BONAVENTURÆ EP. C. DOCTORIS I. Ord.

Titularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario, omissa in I Vesperis comm. præcedentis festi.

Vesperæ sequentis, commemoratio præcedentis.

De Octava fit commemoratio quotidie tam in Vesperis, quam in Laudibus, die 15 excepta.

Die 15 Julii

SS. SEPULCRI D. N. J. C.

Duplex 1 classis cum Octava Privilegiata 3 Ordinis

Omnia ut in Breviario.

In I Vesperis fit comm. præcedentis, et de s. Henrico fit tantum commem. in Laudibus.

In II Vesperis commem. sequentis et Canonizationis S. P. N. Francisci.

Per totam Octavam finis Hymnorum Deo Patri... qui a mórtuis, et ad Primam ℣. Qui surrexísti a mórtuis.

De Octava fit commemoratio quotidie tam in Vesperis, quam in Laudibus.

Die 16 Julii

BULACCI IN CAIRO

B. M. V. DE MONTE CARMELO

Titularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario, sed in I Vesperis fit tantum comm. Octavæ SS. Sepulcri, et in Laudibus comm. Canonizationis S. P. N. Francisci ac Octavæ.

In II Vesperis commemoratio sequentis et Octavæ SS. Sepulcri.

De Octava fit commemoratio quotidie tam in Vesperis, quam in Laudibus.

Die 20 Julii

In Sacro Monte Thabor

S. ELIÆ PROPHETÆ

Commemoratio

In I Vesperis

Ant. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus et horríbilis: et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

℣. Verbo Dómini contínuit cælum.

℟. Et dejécit de cælo ignem ter.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus; eódem interveniénte, ad cæléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

Ad Laudes

Ant. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres et menses sex. Et rursum orávit, et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

℣. Elías in túrbine tectus est.

℟. Et in Eliséo complétus est spíritus ejus.

Oratio ut supra.

In II Vesperis

Ant. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas Jordánis, quæ di-

vísæ sunt in utrámque partem, et transiérunt ipse et Eliséus per siccum: et ascéndit Elías per túrbinem in cælum.

℣. Beáti sunt qui te vidérunt.

℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Oratio ut supra.

Die 21 Julii
Er ram Aleppi

In Octava S. BONAVENTURÆ Ep. Conf. Doct.
I. Ordinis
Duplex majus

Antiphonæ et Pss. ad omnes Horas, et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die; reliqua ut in die Festo, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio

Deus qui sanctum Bonaventúram Confessórem atque Pontíficem, Ecclésiæ Doctórem Seráphicum tribuísti: concéde, nos et ejus eruditióne profícere; et tuæ caritátis igne succéndi. Per Dóminum.

Et fit commem. præcedentis, b. Angelinæ a Marsciano Vid., 3 Ord., ac s. Praxedis Virg. ut in Breviario.

Lectiones I Nocturni de occurrenti Scriptura.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Hom. 2 de s. Cypriano

In festivitáte beáti Bonaventúræ, fratres caríssimi, univérsa nobíscum Christi exsúltat Ecclésia, quam in omne gáudium cæléstis eruditióne sermónis instrú-

xit. Fuit enim in eo, sicut compértum habémus, contra erróres diáboli spiritális sapiéntiæ plenitúdo. Quis non hujúsmodi virum, quantis valet, præcóniis prosequátur: cujus eloquéntia inspiráta divínitus, et Ecclésiam dócuit, et sæculum confutávit?

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus; * In pace et in æquitáte ambulávit cum Deo, et multos avértit ab iniquitáte.

℣. Lábia enim ejus custódiunt sciéntiam, et legem requírent ex ore ejus. - In pace.

Lectio v

Hic est ille evangélicus paterfamílias, próferens de thesáuro suo nova et vétera; qui véteris novíque Testaménti unum, atque idípsum mystérium prædicans, Ecclésias Christi locupletíssima disputatióne ditávit. Incorruptíbilis atque indeféssus illíus est hódie thesáurus qui pecúniam Dómini sui nummuláriis fénerans, quotídie in corde fidélium cæléstium divitiárum sanctam conquírit usúram.

℟. Vir perítus multos erudívit, et ánimæ suæ suávis est: * Vir sápiens implébitur benedictiónibus, et vidéntes illum laudábunt.

℣. Sápiens in pópulo hereditábit honórem, et nomen illíus erit vivens in ætérnum. - Vir sápiens.

Lectio vi

Quid ígitur, fratres, tanto speciósius viro, cujus hæc est régula et mensúra sermónis, ut inter várias hóminum causas, motúsque divérsos, nunc affectióne patris, nunc auctoritáte doctóris consolétur húmiles, supérbos cómprimat, negligéntes árguat, increpet infidéles? Tantóque dénique decóre sa-

cerdótium vitámque suam vir fidelíssimus adornávit, ut doctrínam suam subsequéntibus confirmáret opéribus, Domínicam illam senténtiam ténens: Qui docúerit, et fécerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

℟. In diébus suis ædificávit domum, * Et exaltávit templum sanctum Dómino, parátum in glóriam sempitérnam.

℣. Stare fecit portas et seras, eréxit domos nostras. - Et exaltávit. Glória Patri. - Et exaltávit.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cap. V - 13, 19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Isidóri Epíscopi

Ex lib. 2 Offic. ad s. Fulg.

Qui in erudiéndis, atque instituéndis ad virtútem pópulis præerit, necésse est, ut in ómnibus sanctus sit, et in nullo reprehensíbilis habeátur. Qui enim álium de peccátis árguit, ipse a peccáto debet esse aliénus. Nam qua fronte subjéctos argúere póterit, cum illi statim possit corréctus ingérere: Ante doce te quæ recta sunt? Prímitus quíppe semetípsum corrígere debet, qui álios ad bene vivéndum admonére studet; ita ut in ómnibus semetípsum formam vivéndi præbeat, cunctósque ad bonum opus, et doctrína et ópere próvocet. Cui etiam sciéntia Scripturárum necessária est: quia si Epíscopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens. Porro si et doctrína et ser-

móne fúerit erudítus, potest céteros quoque instrúere, et docére suos, et adversários repercútere, qui nisi refutáti fúerint atque convícti, fácile possunt simplícium corda pervértere.

℟. Quási arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus ætátis : * Quási ignis effúlgens, et thus ardens in igne.

℣. Quasi vas áuri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. - Quasi ignis.

Lectio viii

Hujus sermo debet esse purus, simplex, apértus, plenus gravitátis et honestátis, plenus suavitátis et grátiæ, tractans de mystério legis, et doctrína fídei, de virtúte continéntiæ, de disciplína justítiæ : unumquémque ádmonens divérsa exhortatióne, juxta professiónem, morúmque qualitátem : scílicet ut prænóscat quid, cui, quando, vel quómodo próferat. Cujus præ céteris speciále offícium est, Scriptúras légere, percúrrere Canónes, exémpla Sanctórum imitári, vigíliis, jejúniis, oratiónibus incúmbere, cum frátribus pacem habére, nec quemquam de membris suis discérpere ; nullum damnáre, nisi comprobátum ; nullum excommunicáre, nisi discússum.

℟. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus ; * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum.

℣. Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum, et nómine ætérno hereditávit illum. - Et implévit. Glória Patri. - Et implévit.

Lectio ix

Pro b. Angelina de Marsciano Vid. 3 Ord.

Angelína, in Umbro castro Montis Jovis ex comítibus Marsciáni nata, a puerítia virgínibus complúribus ad divína obséquia congregándis prælúsit. Ægre póstea matrimónio júncta, ac viro post biénnium vita functo, cæléstia libérius cogitáre, víduas et pupíllos fovére, sacris exhortatiónibus peccatóres ad pœniténtiam addúcere, multísque puéllis nobílibus ut virginálem statum capésserent persuadére cœpit. Apud regem Sicíliæ quási hærética accusáta et Neápolim accíta, ibi mórtuum púerum ad vitam revocávit, et coram rege constitúta, ei prunas in veste laténtes óbtulit, ejúsque consílium, quod nulli credíderat, eam flammis devovéndi, revelávit. Iterum ad regem accusáta, ac exsuláre jússa, Fulgíneum pétiit, ubi monastérium constrúxit, prima ómnium in Itália congregatiónis Sorórum Tértii ordinis sancti Francísci in cláustris degéntium fundaménta jáciens. Jejúniis, oratióni, et caritátis opéribus semper inténta, angélicam pótius quam humánam vitam dúcere videbátur. Gravi tandem languóre corrépta, sacraménta recépit, atque in écstasim rapta et dormiénti símilis emísit spíritum, prídie Idus Júlias, anno millésimo quadringentésimo trigésimo quínto, ætátis suæ septuagésimo octávo. Miro splendóre fácies ejus effulgére cœpit, cubículum odóre suavíssimo spiráre, et pópulus ad sacrum corpus venerándum accúrrere; quod in templum sancti Francísci delátum, párietes sacélli, in quo quiescébat, die quo Turcæ Constantinópoli potí-

ti sunt, in ómnium conspéctu sanguíneo humóre manárunt. Cultum ab immemorábili témpore beátæ Angelínæ præstitum, Leo duodécimus ratum hábuit et confirmávit.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui sanctum Bonaventúram Confessórem atque Pontíficem, Ecclésiæ Doctórem Seráphicum tribuísti; concéde, nos et ejus eruditióne profícere; et tuæ caritátis igne succéndi. Per Dóminum.

Et fit commemoratio b. Angelinæ Vid., ac s. Praxedis Virg.

Vesperæ sequentis, commemoratio præcedentis, diei Octavæ SS. Sepulcri, s. Laurentii a Brundusio C. 1 Ord., ac b. Angelinæ ℣. Spécie tua.

Die 22 Julii

S. MARIÆ MAGDALENÆ PŒNITENTIS

Duplex 2 classis

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart., præter ea quæ hic habentur propria.

AD ECCLESIAM SS. SEPULCRI fit commemoratio inseparabilis aliarum sanctarum Mulierum cum ipsa Magdalena in Mysterio Mortis, Sepulturæ, ac Resurrectionis Christi participum, ut infra.

In I Vesperis

Hymnus

Pater supérni lúminis,
Cum Magdalénam réspicis,

Flammas amóris éxcitas,
Gelúque solvis péctoris.
Amóre currit sáucia
Pedes beátos úngere,
Laváre fletu, térgere
Comis, et ore lámbere.
Astáre non timet cruci:
Sepúlcro inhæret ánxia,
Truces nec horret mílites:
Pellit timórem cáritas.
O vera, Christe, cáritas,
Tu nostra purga crímina,
Tu corda reple grátia,
Tu redde cæli præmia.
Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit quod Jesus accúbuit in domo Simónis leprósi, áttulit alabástrum unguénti, et stans retro secus pedes Jesu, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat.

Oratio

Beátæ Maríæ Magdalénæ, quæsumus, Dómine, suffrágiis adjuvémur: cuius précibus exorátus, quatriduánum fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti. Qui vivis et regnas.

Deinde ad Eccl. SS. SEPULCRI, comm. ss. Mulierum.

Ant. Subsecútæ muliéres, quæ cum Jesu vénerant de Galiléa, vidérunt monuméntum, et reverténtes paravérunt arómata.

℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

℟. Donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ.

Oratio

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis, quo beátas Mulíeres implevísti: ut, sédula eárum imitatióne, Tibi sincére obsequéntes, fide Tibi et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. præcedentis, ac Octavæ Ss.mi Sepulcri:

Ant. Deponéntes Dóminum de cruce, posuérunt eum in Monuménto, quod erat excísum in petra, in quo nondum quisquam pósitus fúerat, allelúja.

℣. Tuum Sepúlcrum adorámus, Dómine, allelúja.

℟. Et recólimus tuam gloriósam Resurrectiónem, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in Sepúlcro depósitus, tertia die resúrgere voluísti: concéde fámulis tuis, ut qui Sepúlcri tui memóriam recólimus; Resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit comm. s. Laurentii a Brundusio C. 1 Ord., ut in Breviario.

Ad Matutinum

Invit. Laudémus Deum nostrum, * In conversióne Maríæ Magdalénæ.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus

María castis ósculis
Lambit Dei vestígia:
Fletu rigat, tergit comis,
Detérsa nardo pérlinit.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sæcula.

Amen.

In I Nocturno

Lectio i

De Cánticis canticórum

Cap. 3

In léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea: quæsívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea: quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem: Num quem díligit ánima mea, vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum: nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ.

℟. María Magdaléne, et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum: * Jesus, quem quǽritis, non est hic: surréxit, sicut locútus est: præcédet vos in Galilǽam, ibi eum vidébitis.

℣. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum orto jam sole: et introeúntes vidérunt júvenem sedéntem in dextris, qui dixit illis. - Jesus.

Lectio ii

Cap. 8

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam donec ipsa velit.

℟. Congratulámini mihi omnes qui dilígitis Dóminum: quia quem quærébam, appáruit mihi: * Et dum flerem ad

monuméntum, vidi Dóminum meum, allelúja.

℣. Recedéntibus discípulis non recedébam, et amóris ejus igne succénsa ardébam desidério. - Et dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum meum, allelúja.

Lectio iii

Quæ est ista, quæ ascéndit de deserto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio, lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Áquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam.

℟. Tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum. Dicunt ei Ángeli: Múlier quid ploras? surréxit, sicut dixit: * Præcédet vos in Galilæam, ibi eum vidébitis.

℣. Dum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum, et vidit duos Ángelos in albis sedéntes, qui dicunt ei. - Præcédet. Glória Patri. - Præcédet.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo
sancti Gregórii Papæ

Homil 25 in Evangel.

María Magdaléne, quæ fúerat in civitáte peccátrix, amándo veritátem, lavit lácrimis máculas críminis: et vox Veritátis implétur, qua dícitur: Dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum. Quæ enim prius frígida peccándo remánserat, póstmodum amándo fórtiter ardébat. Quæ a monuménto Dómini, étiam discípulis recedéntibus, non recedébat: exquirébat, quem non invénerat:

flebat inquiréndo, et amóris sui igne succénsa, ejus quem ablátum crédidit, ardébat desidério. Unde cóntigit, ut eum sola tunc vidéret, quæ remánserat ut quæréret: quia nimírum virtus boni óperis perseverántia est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v

Quæsívit ergo prius, et mínime invénit: perseverávit ut quæréret, unde et cóntigit ut inveníret: actúmque est, ut desidéria diláta crescerent, et crescéntia cáperent quod invenissent. Hinc est enim, quod de eódem sponsa Ecclésia in Cánticis canticórum dicit: In léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea. Diléctum namque in léctulo quærimus, quando in præséntis vitæ aliquántula réquie Redemptóris nostri desidério suspirámus. Per noctem quærimus: quia etsi jam in illo mens vígilat, tamen adhuc óculus calígat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem; * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætitiæ.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Sed qui diléctum suum non invénit, restat ut surgat, civitátem circúmeat, idest, sanctam electórum Ecclésiam mente et inquisitióne percúrrat: per vicos eum et platéas quærat, idest, per angústa et lata gradiéntes adspíciat, ut si qua invenire in eis váleat, ejus vestígia exquírat: quia sunt nonnúlli étiam vitæ sæculáris,

qui imitándum áliquid hábeant de actióne virtútis. Quæréntes autem nos vígiles invéniunt, qui custódiunt civitátem : quia sancti Patres, qui Ecclésiæ statum custódiunt, bonis nostris stúdiis occúrrunt, ut suo vel verbo vel scripto nos dóceant. Quos, cum páulum pertransímus, invenímus quem dilígimus, quia Redémptor noster, etsi humilitáte homo inter hómines, divinitáte tamen super hómines fuit.

℟. Fallax grátia et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur.

℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et láudent eam in portis ópera ejus. - Múlier. Glória Patri. - Múlier.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 7, f.

In illo témpore : Rogábat Jesum quidam de pharisæis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisæi discúbuit. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Lib. 50. Homil. 23 tom. 10

Evangélium cum legerétur, attentíssime audístis : et res gesta narráta atque versáta est ante óculos cordis vestri. Vidístis enim non carne, sed mente, Dóminum Jesum Christum in domo pharisæi recumbéntem, et ab illo invitátum non fastidiéntem. Vidístis étiam in civitáte mulíerem famósam, mala útique fama, quæ erat peccátrix, non invitátam irruísse convívio, ubi suus médicus recumbébat, et quæsísse pia impudéntia sanitátem : írruens, quasi importúna convívio, opportúna benefício. Nó-

verat enim quanto morbo laboráret: et illum ad sanándum esse idóneum, ad quem vénerat, sciébat.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit.

℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus; non exstinguétur in nocte lucérna ejus. - Et panem.

Lectio viii

Accéssit ergo non ad caput Dómini, sed ad pedes. Et quæ diu male ambuláverat, vestígia recta quærébat. Prius fudit lácrimas cordis, et lavit Dómini pedes obséquio confessiónis, capíllis suis tersit, osculáta est, unxit: tácita loquebátur, non sermónem promébat, sed devotiónem ostendébat. Quia ergo tétigit Dóminum rigándo, osculándo, tergéndo, ungéndo pedes ejus: pharisæus, qui invitáverat Dóminum Jesum Christum, quia ex illo génere erat hóminum superbórum, de quibus Isaías prophéta dicit: Qui dicunt, Recéde longe a me: noli me tángere, quóniam mundus sum: putávit Dóminum nescísse mulíerem.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea regi. - Quem. Glória Patri. - Quem.

Lectio ix

Pro s. Laurentio a Brundusio C. 1 Ord.

Alias:

O pharisæe invitátor et irrísor Dómini: Dóminum pascis, et a quo pascéndus sis, non intélligis? Unde scis Dó-

minum nescísse quæ fúerit illa múlier, nisi quia permíssa est accédere, nisi quia, illo patiénte, osculáta est pedes ejus, nisi quia tersit, nisi quia unxit? Hæc enim non débuit permítti fácere in pédibus mundis múlier immúnda? Ad illíus ergo pharisæi pedes si talis múlier accessísset, dictúrus erat, quo Isaías de tálibus dicit: Recéde a me, noli me tángere: quóniam mundus sum. Accéssit autem ad Dóminum immúnda, ut redíret munda: accéssit ægra, ut redíret sana: accéssit conféssa, ut redíret proféssa.

Te Deum laudámus.

Hymnus

Summi Paréntis Únice,
Vultu pio nos réspice:
Vocans ad arcem glóriæ
Cor Magdalénæ pœnitens.

Amíssa drachma régio
Recóndita est ærário;
Et gemma detérso luto
Nitóre vincit sídera.

Jesu, medéla vúlnerum,
Spes una pœniténtium,
Per Magdalénæ lácrimas
Peccáta nostra díluas.

Dei Parens piíssima,
Hevæ nepótes flébiles
De mille vitæ flúctibus
Salútis in portum vehas.

Uni Deo sit glória,
Pro multifórmi grátia,
Peccántium qui crímina
Remíttit, et dat præmia.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Bened. Ant. María unxit pedes Jesu, et extérsit capíllis suis, et domus impléta est ex odóre unguénti.

Oratio

Beátæ Maríæ Magdalénæ, quæsumus, Dómine, suffrágiis adjuvémur: cujus précibus exorátus, quatriduá-

num fratrem Lázarum vivum ab ínferis resuscitásti : Qui vivis et regnas.

Deinde in Ecclesia SS. SEPULCRI commemoratio ss. Mulierum.

Ant. Exiérunt cito de monuménto cum timóre et gáudio magno curréntes nuntiáre Discípulis ejus.

℣. Surréxit Dóminus vere.

℟. Sicut dixit vobis.

Oratio

Effúnde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis, quo beátas Mulíeres implevísti : ut, sédula eárum imitatióne Tibi sincére obsequéntes, fide Tibi et ópere placeámus. Per Dóminum nostrum.

Et fit comm. diei Octavæ Ss. Sepulcri.

Ant. Abeúntes Judæi muniérunt Sepúlcrum, advolvéntes lápidem ad óstium monuménti, et signántes eum cum custódibus, allelúja.

℣. Tuum Sepúlcrum adorámus, Dómine, allelúja.

℟. Et recólimus tuam gloriósam Resurrectiónem, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subíre, et in Sepúlcro depósitus, tértia die resúrgere voluísti : concéde fámulis tuis, ut qui Sepúlcri tui memóriam recólimus; Resurrectiónis quoque glóriæ partícipes esse mereámur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit comm. s. Laurentii a Brundusio, ut in Breviario.

In II Vesperis omnia ut in primis, præter :

℣. Elégit eam Deus et præélegit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ant. Múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, áttulit alabástrum unguénti et stans retro secus

pedes Dómini, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus et capíllis cápitis sui tergébat.

Ad SS. SEPULCRUM, comm. ss. Mulierum:

Ant. Occúrrit illis Jesus, dicens: Avéte, nolíte timére; et gáudio magno curréntes nuntiavérunt hæc ómnia Discípulis ejus.

℣. Surréxit Dóminus vere.

℟. Sicut dixit vobis.

Oratio ut ad Laudes.

Et fit comm. sequentis, postea Octavæ Ss. Sepulcri:

Ant. Introëúntes mulíeres in Monuméntum, vidérunt júvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt, allelúja.

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus, allelúja.

℟. Adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus, allelúja.

Oratio ut ad Laudes.

Deinde s. Laurentii a Brundusio, ut in Breviario.

Die 23 Julii

BULACCI IN CAIRO

In Octava B. M. V. DE MONTE CARMELO

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, reliqua ut in Communi Festorum B. M. V. præter sequentia.

In II Vesperis s. Mariæ Magdalenæ fit comm. Octavæ b. Mariæ V.:

Ant. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solémnem commemoratiónem.

℣. Dignáre me.

Oratio

Deus, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli Ordinem decorásti: concéde propítius; ut cujus hódie commemorátionem solémni celebrámus offício; ejus muníti præsídiis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Qui vivis.

Deinde comm. diei Octavæ ss. Sepulcri, ut supra, s. Laurentii a Brundusio et s. Apollinaris.

Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Thomæ de Villanóva

Conc. I de Assump. Virg.

María est turris fundáta supra firmam petram in móntibus sanctis immóbili fundaménto: síquidem Deus in médio ejus non commovébitur. De hac Vírgine in Cánticis légitur: Sicut turris David, quæ ædificáta est cum propugnáculis; mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vere turris David; illíus, inquam, David, qui supérbum Góliath quinque lapídibus de torrénte, idest, de vulnéribus, et crucis báculo, gloriántem, in Calváriæ monte prostrávit. Facta est hæc turris Ecclésiæ propugnáculum, et peccatórum únicum refúgium, ut ad ipsam confúgiant omnes rei, omnes mœsti, omnes afflí-

cti, et, ea protegénte, liberéntur ab hoste. O homo! in quacúmque tribulatióne ad Maríam fuge, sive peccátis afflíctus, sive persecutiónibus attrítus, sive tentatiónibus turbátus, hanc turrim pétito, ad Maríam confúgito. Mille enim clýpei pendent ex ea, et contra omnem æstum tribulántis, et ad omnem fáciem persequéntis dæmonis, tutíssimum in ea clýpeum invénies, quo te prótegas.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quási myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.

Lectio v

Ibi est enim omnis armatúra fórtium, ibi fides Apostolórum, ibi fortitúdo Mártyrum, ibi púritas Vírginum, Doctórum sapiéntia, Anachorætárum paupértas, devótio Confessórum, ibi dénique ómnium Sanctórum virtus agglomeráta reperítur. Nihil enim unquam alícui Sanctórum speciáli privilégio concéssum est, quod non a princípio vitæ et cumulátius præfúlgeat in María. Ecce castéllum fortíssimum, ecce turrim inexpugnábilem, quæ nunquam diábolo præstitit tribútum, ac fidem. Hanc intrávit Jesus, quando Verbum caro factum est et habitávit in nobis; ideo inimícos expugnatúrus, et regnum suum recuperatúrus, in quo ab initio dæmon fúerat intrúsus.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. - Vidérunt eam.

Lectio vi

Elécta est ut esset advocáta nostra. Nam licet advocátum habémus apud Patrem, Fílium, ut ait Joánnes; opus étiam fuit habére Maríam advocátam apud Fílium. Nam peccátis nostris non solum Deus offénditur, cujus præcépta violámus; sed et Fílius Dei, cujus sánguinem peccándo conculcámus, rursus crucifigéntes Fílium Dei: et ídeo sicut apud Patrem interpéllat Fílius, sic apud Fílium interpéllat Mater. Unde Fílius osténdit Patri latus et vúlnera, et Mater osténdit Fílio pectus et úbera; unde facta est idónea Advocáta: idónea quia puríssima, idónea quia acceptíssima, idónea quia piíssima; hæc enim ómnia ad Advocátam requirúntur. Eja, ergo, Advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte: ad Te in nostris necessitátibus accúrrimus; tuum offícium imple, tuum opus exérce.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum.

℣. Ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et vidéntes eam. Glória Patri. - Unguéntum.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 11 - 27, 28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter qui te portávit! Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

In Joann. c. 2 Hom. 20

Cum audíeris mulíerem illam dicéntem: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ tu suxísti: deínde Dóminum respondéntem: Quin immo beáti qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud: ea senténtia dictum exístima, non quod matrem neglígeret, sed nihil ei utilitátis matris nomen allatúrum osténderet, nisi bonitáte et fide præstáret. Quod si Maríæ nihil, sine virtúte, matérna cáritas erat profutúra, longe minus nobis patris, fratris, matris fílii bónitas, nisi áliquid nostrum afferámus.

℟. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni láude digníssima; * Quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solémnem commemoratiónem. - Quia.

Lectio viii

In nullo namque alio, nisi in solis suis ipsíus virtútibus, post divínam grátiam, de salúte cuípiam sperándum est. Nam si id profutúrum erat per se Maríæ, profuísset étiam Judæis, quorum consanguíneum erat Christus secúndum carnem; profuísset civitáti, in qua natus est; profuísset frátribus. At qui dum fratres rerum suárum curam habuérunt, nihil eis propinquitátis nomen prófuit, sed cum réliquo mundo damnáti erant.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes; * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in pro-

génies timéntibus eum. - Quia. Glória Patri. - Quia.

Lectio ix

De s. Apollinare Episcopo et Martyre

Apollináris cum Príncipe Apostolórum Antiochía Romam venit; a quo ordinátus epíscopus, Ravénnam ad Christi Dómini Evangélium prædicándum míttitur, ubi, cum ad Christi fidem plúrimos convérteret, captus ab idolórum sacerdótibus, gráviter cæsus est. Cumque ipso oránte Bonifátius nóbilis vir, qui diu mutus fúerat, loquerétur, ejúsque fília immúndo spíritu liberáta esset, íterum est in illum commóta sedítio. Qua re divérsas et multíplices pœnas perpéssus est. Póstea per Æmíliam Evangélium prædicans, plúrimos ab idolórum cultu revocávit. Ravénnam revérsus, exhórtans Christiános ad fídei constántiam, gloriósum martýrium consummávit. Ejus corpus prope murum urbis sepúltum est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

℣. Diffúsa est.

Ad Benedictus Ant. Caput tuum ut Carmélus; et comæ cápitis tui sicut púrpura regis, vincta canálibus, allelúja.

Oratio

Deus, qui beatíssimæ Vírginis et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli Órdinem decorásti: concéde propítius; ut cujus hódie commemoratiónem solémni celebrámus offício, ejus muníti præsídiis, ad gáudia sempitérna pervenire mereámur. Qui vivis.

Et fit comm. s. Apollinaris Ep. M., ac s. Liborii Ep. C. ut in Breviario.

In II Vesperis

℣. Dignáre me.

Ad Magnificat Ant. Glória Líbani data est ei, decor Carméli et Saron, allelúja.

Et fit comm. sequentis, s. Apollinaris, ac s. Christinæ V. M. ut in Breviario.

Die 29 Julii

S. MARTÆ VIRGINIS

Duplex

Omnia ut in Breviario.

In II Vesperis comm. sequentis, ac ss. Abdon et Sennen Mm.

Die 31 Julii

WASHINGTON

S. IGNATII CONF.

Archidiœcesis Patroni principalis

Duplex 1 classis

Omnia de Communi unius Confessoris non Pontificis et in Breviario.

In I Vesperis nulla fit commemoratio.

Lectiones I Noct. Beátus vir.

In II Vesperis comm. sequentis, et s. Pauli Ap. tantum.

Die 3 Augusti

ARIMATHÆÆ

S. NICODEMI DISCIPULI DOMINI

Titularis Ecclesiæ

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia ut in Communi unius Confessoris non Pontificis, præter sequentia.

Oratio

Deus, qui nos beáti Nicodémi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Lectiones I et II Nocturni de Communi, I loco.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Cap. 3

In illo témpore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 2 in Joann.

Nicodémus ex his erat, qui credíderant in nómine Jesu, vidéntes signa et prodígia, quæ faciébat. Supérius enim hoc dixit: Cum autem esset Hierosólymis in Pascha, in die festo, multi credidérunt in nómine ejus. Quare credidérunt in nómine ejus? Séquitur, et dicit: Vidéntes signa ejus, quæ faciébat. Et de Nicodémo quid dicit? Erat

princeps Judæórum, nómine Nicodémus. Hic venit ad eum nocte, et ait illi: Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster. Et iste ergo credíderat in nómine ejus. Et ipse unde credíderat? Séquitur: Nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse.

Lectio viii

Si ergo Nicodémus de illis multis erat, qui credíderant in nómine ejus, jam in isto Nicodémo attendámus, quare Jesus non se credébat eis. Respóndit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Ipsis ergo se credit Jesus, qui nati fúerint dénuo. Ecce illi credíderant in eum, et Jesus non se credébat eis. Tales sunt omnes Catechúmeni; ipsi jam credunt in nómine Christi, sed Jesus non se credit eis.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. - Et vos.

Lectio ix

Inténdat, et intélligat cáritas vestra. Si dixérimus Catechúmeno: Credis in Christum? Respondet, Credo; et signat se Cruce Christi: portat in fronte, et non

erubéscit de Cruce Dómini sui. Ecce credit in nómine ejus. Interrogémus eum: Mandúcas carnem Fílii hóminis, et bibis sánguinem Fílii hominis? Nescit quid dícimus, quia Jesus non se crédidit ei.

Te Deum laudámus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Nicodémi Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit comm. Inventionis s. Stephani Protomartyris, ut in Breviario.

In II Vesperis commemoratio sequentis tantum.

De Octava fit commemoratio quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus primæ et secundæ classis exceptis.

Eadem die

AD SS. SEPULCRUM

FESTUM S. NICODEMI DISCIPULI DOMINI

Duplex majus

Omnia ut in Psalterio et in Communi ut supra, pag. 173.

In II Vesp. Dedicat. Basilicæ B. M. Angelorum fit commemoratio s. Nicodemi Conf., deinde s. Alphonsi M. et Inventionis s. Stephani Protomart.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurrenti. In II Nocturno ut in Communi primo loco. In III Nocturno ut supra, sed de VIII et IX lectione fit una.

Lectio ix

Pro Inventione s. Stephani Protomart.

Sanctórum córpora Stéphani Protomártyris, Gamaliélis, Nicodémi et Abibónis, suavíssimum odórem manántia, a Joánne Jerosolymitárum antístite invénta sunt prope Jerosólymam. Cujus rei fama commóta, magna hóminum multitúdo eo convénit, multíque ex váriis morbis ægróti ac débiles, sani et íntegri domum rediérunt. Sacrum áutem sancti Stéphani corpus, quod summa tunc celebritáte in sanctam ecclésiam Sion illátum est, sub Theodósio junióre Constantinópolim, inde Romam, Pelágio primo summo Pontífice, translátum, in agro Veráno, in sepúlcro sancti Lauréntii Mártyris, collocátum est.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit comm. Inventionis s. Stephani ut in Breviario.

Vesperæ sequentis tantum.

Die 6 Augusti

In SS. Monte Thabor

TRANSFIGURATIO D. N. J. C.

Duplex 1 classis, cum Octava privilegiata 3 Ordinis

Hierosolymis ad SS. Salvatorem

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario, omissa commemoratione et nona lectione de ss. Martyribus. De Octava privilegiata fit comm. quotidie. De Octava vero communi exceptis diebus primæ vel secundæ classis.

Die 10 Augusti

Arimathææ

In utrisque Vesperis et Laudibus fit commemoratio diei Octavæ s. Nicodemi, ut in die 3 hujusce mensis.

Die 13 Augusti

IN SS. MONTE THABOR
ET JERUSALEM AD SS. SALVATOREM

Octava TRANSFIGURATIONIS D. N. J. C.

Duplex majus

In II Vesperis s. Claræ fit commemoratio diei Octavæ Transfigurationis, ut in I Vesperis diei festi, et bb. Confessorum 1 et 3 Ord. ut in Breviario.

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas, et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die; reliqua ut in festo præter sequentia.

Lectiones I noct. de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Cyrílli Episcopi Alexandríni

Apud Metaph. post med.

Arbitrátus fortásse beátus Petrus advenísse tempus regni Dei, in monte quidem versári déligit; dicit autem tria esse faciénda tabernácula, nésciens quid díceret. Non erat enim tempus consummatiónis sæculi, neque in præsénti témpore sunt Sancti futúri partícipes spei eis promíssæ. Cum ergo dispensátio adhuc esset in princípio, et nondum esset finíta, quómodo erat consentáneum, Christum, qui vénerat propter caritátem in mundum, desínere pro eo velle pati? Nesciébat ergo Petrus quid díceret.

℟. Inebriáti sunt ab ubertáte domus tuæ: * Et torrénte voluptátis tuæ potásti eos.

℣. Quóniam apud te

est fons vitæ, et in lúmine tuo vidébimus lumen. - Et.

Lectio v

Céterum præter admirábile, et arcánum Christi glóriæ spectáculum, áliquid quoque aliud factum est útile, et necessárium ad confirmándam in se fidem, non solis discípulis, sed étiam nobis ipsis. Désuper enim ex alto éxtitit vox Dei, et Patris, dicéntis: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et dum facta est, inquit, vox, invéntus est solus Jesus. Ecce, præsénte Móyse Pater jubet sanctis Apóstolis, ut eum áudiant. Quod si eos voluísset séqui præcépta Móysis, dixísset: Serváte legem. Nunc autem ne hoc quidem dicit Deus, et Pater. Áberat quidem Móyses, Elías autem non áderat, solus vero erat Christus. Jussit ergo ipsum audíre. Ipse est enim finis legis, et Prophetárum.

℟. Præcéptor, bonum est nos hic esse: * Faciámus hic tria tabernácula; tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum.

℣. Non enim sciébat quid díceret. - Faciámus.

Lectio vi

Proptérea Judæórum pópulum allocútus est, dicens: Si crederétis Móysi, crederétis útique mihi: ille enim de me scripsit. Quóniam autem, et per sapientíssimum Móysen datum præcéptum contémnere, et quæ per sanctos Prophétas dicta sunt, nihil dúcere perpétuo perseverárunt, jure sunt abalienáti, et exturbáti a bonis, quæ promíssa sunt ipsis pátribus. Obediéntia enim mélior est, quam sacrifícium: et auscultátio, quam á-

dipes agnórum, sicut scriptum est. Et ita quidem se habet rex Judæórum. Nobis autem, qui ejus advéntum agnóvimus, ómnia omníno bona áderunt, per ipsum, et in ipso Christo. Per quem, et cum quo, Deo et Patri glória, et poténtia, cum sancto Spíritu in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere fílii Israël in fáciem Móysi, propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur; * Multo magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória.

℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Móyse dignus est hábitus, quanto ampliórem honórem habet domo, qui fabricávit eam. - Multo magis. Glória Patri. - Multo magis.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum
Cap. 17

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi
Lib. vii in Luc., Cap. 9

Hic est Fílius meus diléctus. Hoc est, non Elías fílius, non Móyses fílius; sed hic est Fílius, quem solum vidétis; recésserant enim illi, ubi cœpit Dóminus designári. Vides hanc non solum insipiéntium, sed étiam perfectórum, imo etiam cæléstium fidem esse perféctam, Fílium Dei scire. Sed quóniam hæc

jam supra díximus, cognósce nubem istam non fumigántium esse móntium nebulóso humóre concrétam, et coácti áëris calígine píceam, quæ cælum tenebrárum horróre subtéxat; sed lúcidam nubem, quæ nos non pluviálibus aquis, et huméntis alluvióne imbris immádidet, sed de qua mentes hóminum, voce Dei omnipoténtis emíssa, ros fídei rigávit.

℟. Vocávit nos Deus vocatióne sua sancta, secúndum grátiam suam, quæ manifestáta est nunc, * Per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi.

℣. Qui destrúxit mortem, illuminávit autem vitam in incorruptiónem. - Per.

Lectio viii

Itaque cum tres essent, unus est factus. Tres in princípio vidéntur, unus in fine. Perfécta enim fide unum sunt. Dénique hoc étiam Dóminus Patrem orat, ut omnes unum simus. Nec solum Móyses, et Elías in Christo unum sunt, sed étiam nos unum corpus sumus Christi. Ergo et illi tamquam in uno córpore recipiúntur in Christi corpus: quia et nos in unum érimus in Christo Jesu. Aut fortássis, quia lex et Prophétæ ex verbo; quæ autem ex verbo cœpérunt, in verbo désinunt. Finis enim legis est Christus, ad justítiam omni credénti.

℟. Deus qui fecit de ténebris lumen splendéscere, illúxit in córdibus nostris, * Ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Jesu Christi.

℣. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde, miséricors, et miserátor, et justus. - Ad illuminatiónem. Glória Patri. - Ad illuminatiónem.

Lectio ix
Pro bb. Joanne, Vincentio et Novellone CC.

Ad Laudes fit comm. bb. Confessorum, ac ss. Hippolyti et Cassiani Mm. ut in Breviario.

In II Vesperis fit comm. sequentis, bb. Joannis etc. Confessor., et s. Eusebii Conf. ut in Breviario.

Die 15 Augusti

CAIRI (MUSKI) et BAGHGIAGAZ

In ASSUMPTIONE B. M. V.

Ecclesiarum Titularis

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario.

Dominica infra Octavam Assumptionis

IN PATRIARCHATU HIEROSOLYMITANO

B. MARIÆ V. REGINÆ PALÆSTINÆ

Patronæ Diœcesis Patriarchalis

Duplex 1 classis

Omnia ut in festo Assumptionis B. M. V. præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio

Deus, qui admirábili providéntia cuncta dispónis, te súpplices

exorámus; ut, sanctam Palæstínæ terram, in qua Unigénitus tuus sacra Redemptiónis mystéria ineffábili caritáte perfécit: intercedénte beáta Vírgine María Palæstínæ Regína, ab ómnibus adversitátibus defénsam; in sancta professióne Majestáti tuæ dignánter servíre concédas. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

In I Nocturno

Lectio i

De Cánticis Canticórum

Cap. 4

Quam pulchra es, amíca mea, quam puchra es! Óculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum quæ ascendérunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum quæ ascendérunt de lavácro; omnes geméllis fœtibus et stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea lábia tua, et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificáta est cum propugnáculis: mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum: cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lilia convállium.

℣. Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhæ et thuris? - Et sicut.

Lectio ii

Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te. Veni de Líbano, Sponsa mea,

veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Ámana, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. - Dedi.

Lectio iii

Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub língua tua; et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Emissiónes tuæ paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus, cypri cum nardo. Nardus et crocus, fístula et cinnamómum cum univérsis lignis Líbani; myrrha et áloe cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

℟. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. - Vidérunt. Glória Patri. - Vidérunt.

In II Nocturno

Lectio iv

De Sermóne sancti Joánnis Damascéni

Oratio 2 de Dormit. Deiparæ, sub finem

Ex antíqua accépimus traditióne, quod témpore gloriósæ dormitiónis beátæ Vírginis, univérsi quidem sancti Apóstoli, qui orbem terræ ad salútem Géntium peragrábant, momento témporis in sublíme eláti, convenérunt Jerosólymis: cumque illic essent, eis vísio appáruit angélica, et audíta est psalmódia cæléstium Potestátum; et sic cum divína glória in manus Dei sanctam trádidit ánimam. Ejus autem corpus, quod Deum ineffábili quadam ratióne suscépit, cum angélica et apostólica hymnódia elátum, in lóculo fuit depósitum Gethsémane: quo in loco Angelórum cantus mansit tres dies contínuos.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum.

℣. Ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. - Et vidéntes.

Lectio v

Post tres autem dies angélico cantu cessánte, qui áderant Apóstoli, cum unus Thomas, qui abfúerat, post tértium diem venísset, et quod Deum suscéperat, corpus adoráre voluísset, túmulum aperuérunt; sed omni ex parte sacrum ejus corpus nequáquam invenire potuérunt. Cum ea autem tantum invenissent, in quibus fúerat compósitum, et ineffábili, qui ex iis proficiscebátur, essent odóre repléti, lóculum clausérunt. Ejus mystérii obstupefácti miráculo, hoc solum cogitáre potuérunt, quod cui plácuit ex María Vírgine car-

nem súmere, et hóminem fíeri et nasci, cum esset Deus Verbum, et Dóminus glóriæ: quique post partum incorrúptam servávit ejus virginitátem, eídem étiam plácuit et ipsíus, póstquam migrávit, immaculátum corpus, incorrúptum servátum, translatióne honoráre ante commúnem et universálem resurrectiónem.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. - Quia.

Lectio vi

Aderant tunc cum Apóstolis sanctíssimus Timótheus, primus epíscopus Ephesiórum et Dionýsius Areopagíta, sicut ipse testátur in iis, quæ de beáto Hieróotheo, qui ipse quoque tunc áderat, scripsit ad prædictum Timótheum sic dicens: Nam étiam apud ipsos a Deo afflátos sacrórum Antístites, quando nos quoque, ut nosti, et multi ex sanctis nostris frátribus, ad contuéndum corpus, quod vitæ princípium dedit, et Deum suscépit, convenissémus, (áderat autem et Dómini frater Jacóbus, et Petrus, supréma et antiquíssima theologórum súmmitas) et viso sacro córpore, plácuit ómnibus, prout quisque póterat, hymnis celebráre infinítam bonitátem divínæ poténtiæ.

℟. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes Virgo.

℣. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum. - Genuísti. Glória Patri. - Genuísti.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam
Cap. 10, 38-24

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

De Homilía
sancti Augustíni
Epíscopi
Sermo 27
de Verbis Domini

Bene Martha circa corporálem Dómini, quid dicam, necessitátem, an voluntátem? ministrábat carni mortáli. Sed quis erat in carne mortáli? In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: ecce quod María audiébat. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: ecce Martha cui ministrábat. Ergo María meliórem partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Hoc enim elégit, quod semper manébit, ídeo non auferétur ab ea.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo. - Proptérea.

Lectio viii

Circa unum María se vóluit occupári. Jam tenébat: Mihi autem adhærére Deo bonum est. Sedébat ad pedes cápitis nostri. Quanto humílius sedébat, tanto ámplius capiébat. Cónfluit enim aqua ad humilitátem convállis, dénatat de tumóribus collis. Non ergo Dóminus opus reprehéndit, sed munus distínxit. Circa multa es occupáta: porro unum est necessá-

rium. Jam hoc sibi María elégit.

℟. Beátas es, Virgo María, Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

℣. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. - Intercéde. Glória Patri. - Intercéde.

Lectio IX de Homilia Dominicæ occurrentis, ejusque fit commemoratio in Laudibus ac II Vesperis.

Oratio

Deus, qui admirábili providéntia cuncta dispónis, te súpplices exorámus, ut, sanctam Palæstínæ terram, in qua Unigénitus tuus sacra Redemptiónis mystéria ineffábili caritáte perfécit: intercedénte beáta Vírgine María Palæstínæ Regína, ab ómnibus adversitátibus defénsam; in sancta professióne Majestáti tuæ dignánter servíre concédas. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Die 17 Augusti

CONSTANTINOPOLI

S. ROCHI CONF. 3 ORD.

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius Confessoris non Pontificis, et in Breviario.

In II Vesperis s. Joachim fit a capitulo s. Rochi, cum commemorationibus s. Joachim, et s. Hyacinthi, ut in Breviario.

Lectiones I Nocturni Justus, de 2 loco.

Ad Laudes fit. comm. s. Hyacinthi, ac diei Octavæ s. Laurentii tantum.

Vesperæ a capitulo sequentis, comm. præcedentis, s. Hyacinthi C. ac bb. Beatricis et Paulæ VV. 2 Ord. tantum.

Die 18 Augusti

S. HELENÆ IMPERATRICIS VID.

Duplex 2 classis

Omnia ut in Communi unius nec Virg. nec Mart., præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui locum, ubi Crux tua latébat beátæ Hélenæ revelásti, ut per eam Ecclésiam tuam hoc pretióso thesáuro ditáres: ejus nobis intercessióne concéde; ut vitális ligni prétio ætérnæ vitæ prémia consequámur. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. præcedentis, s. Hyacinthi et bb. Beatricis et Paulæ VV. 2 Ord.

In I Nocturno Lectiones Muliérem fortem, de Communi 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi

Orat. de obitu Theodosii

Venit ergo Hélena, cœpit revísere loca sancta, infúdit ei Spíritus, ut lignum crucis requíreret, accéssit ad Gólgotham, et ait: Ecce

locus pugnæ, ubi est victória? quæro vexíllum salútis, et non invénio. Ego, inquit, in regnis, et crux Dómini in púlvere? Ego in áulis, et in ruínis Christi triúmphus? Ille adhuc latet, et latet palma vitæ ætérnæ. Quómodo me redémptam árbitror, si redémptio ipsa non cérnitur? Vídeo quid égeris, diábole, ut gládius, quo perémptus es, obstruerétur. Sed Ísaac obstrúctos ab alienígenis púteos eruderávit, nec latére aquam passus est. Tollátur ígitur ruína, ut vita appáreat. Promátur gládius, quo veri Golíæ caput est amputátum. Aperiátur humus, ut salus fúlgeat. Quid egísti, diábole, ut abscónderes lignum, nisi ut íterum vinceréris?

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et dedúcet.

Lectio v

Vicit te María, quæ génuit triumphatórem, quæ sine imminutióne virginitátis édidit eum, qui crucifíxus vínceret te, et mórtuus subjugáret. Vincéris et hódie, ut múlier tuas insídias deprehéndat. Illa quasi sancta Dóminum gestávit, ego crucem ejus investigábo. Illa generátum détulit, ego resuscitátum. Illa fecit, ut Deus inter hómines viderétur, ego ad remédium peccatórum divínum de ruínis elevábo vexíllum. Áperit ítaque humum, décutit púlverem, tria patíbula confúsa réperit, quæ ruína contéxerat, inimícus abscónderat. Sed non pótuit obliterári Christi triúmphus. Incérta hæret, ut múlier, sed certam indáginem sanctus Spíritus inspírat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Quæsívit clavos, quibus crucifíxus est Dóminus, et invénit. De uno clavo frenos fíeri præcépit, de áltero diadéma intéxuit, unum ad decórem, álterum ad devotiónem vertit. Visitáta est María, ut Hevam liberáret : visitáta est Hélena, ut imperatóres redimeréntur. Misit ítaque fílio suo Constantíno diadéma gemmis insignítum, quas pretiosióri ferro innéxas cruci redemptiónis divínæ gemma connécteret; misit et frenum. Utróque usus est Constantínus, et fidem transmísit ad pósteros reges. Princípium ítaque credéntium imperatórum sanctum est, quod super frenum : ex illo fides, ut persecútio cessáret, devótio succéderet. Sapiénter Hélena egit, quæ crucem in cápite regum levávit, ut crux Christi in régibus adorétur. Non insoléntia ista, sed píetas est, cum defértur sacræ redemptióni. Bonus ítaque clavus Románi impérii, qui totum regit orbem, et vestit príncipum frontem, ut sint prædicatóres, qui persecutóres esse consuevérunt.

℟. Fallax grátia et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur.

℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et láudent eam in portis ópera ejus. - Múlier timens. Glória Patri. - Múlier timens.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro... de eodem Communi.

Lectio ix pro bb. Beatrice et Paula

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui locum, ubi Crux tua latébat beátæ Hélenæ revelásti, ut per eam Ecclésiam tuam hoc pretióso thesáuro ditáres: ejus nobis intercessióne concéde; ut vitális ligni prétio ætérnæ vitæ præmia consequámur. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. bb. VV. et s. Agapiti Martyris.

In II Vesperis comm. sequentis, s. Joannis Eudes C., ac bb. Virginum.

Die 25 Augusti

MANSURÆ

S. LUDOVICI REGIS C. 3 ORD.

Titularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

In I Vesperis comm. s. Bartholomæi Ap.; reliqua ut in Breviario.

Die 1 Septembris

MANSURÆ

In Octava S. LUDOVICI REGIS. C.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario sub hac die notata pro Tertio Ordine.

Die 4 Septembris

In SS. Monte Thabor

Commemoratio

S. MOYSIS LEGISLATORIS ET PROPHETÆ

In I Vesperis, ad Magnificat, Ant.: Stetit Móyses coram Pharaóne, et dixit: Hæc dicit Dóminus, dimítte pópulum meum, ut sacríficet mihi in desérto.

℣. In mari viæ tuæ.

℟. Et sémitæ tuæ in aquis multis.

Oratio

Omnípotens et misérricors Deus, qui ad educéndum pópulum tuum de servitúte Ægýpti sanctum Móysen elegísti, eíque legem tuam sanctam vulgándam credidísti: fac nos ejus intercessióne, ita legis, quæ ab Unigénito Fílio tuo adimpléta est, præcépta serváre; ut a dæmonis servitúte semper líberi, ab Ægýpto hujus sæculi in promíssam eléctis tuis perpétuæ beatitúdinis terram migráre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Benedictus Ant. In mari viæ tuæ, et sémitæ tuæ in aquis multis; deduxísti sicut oves pópulum tuum in manu Móysis et Áaron.

℣. Transtulísti illos per Mare Rubrum.

℟. Et transvexísti eos per aquam nímiam.

Oratio ut supra.

In II Vesperis, ad Magnif. Ant. Móyses fámulus Dei jejunávit quadragínta diébus et quadragínta nóctibus; ut le-

gem Dómini mererétur accípere.

℣. Deduxísti sicut oves pópulum tuum.

℟. In manu Móysis et Áaron.

Oratio ut supra

Die 14 Septembris

EXALTATIONIS SS. CRUCIS

Duplex 2 classis

HIEROSOLYMIS duplex 1 classis

NICOSIÆ Titularis Ecclesiæ duplex 1 classis cum octava communi

Omnia ut in Breviario, sed in I Vesperis nulla fit commemoratio, nisi de Dominica.

In II Vesperis commemoratio sequentis.

De Octava fit comm. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus I et II classis exceptis.

Die 21 Septembris

NICOSIÆ

In utrisque Vesperis et Laudibus fit commemoratio diei Octavæ Exaltationis SS. Crucis, ut in die festo.

Die 25 Septembris

EMMAUS

S. CLEOPHÆ DISCIPULI DOMINI et Martyris

Contitularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea quæ hic habentur aut notantur propria.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui a mórtuis exsúrgens, beáto Cléophæ, supérnis elóquiis erudíto, in fractióne Panis teípsum revelásti: ejus nobis interventu concéde; ut sermónum tuórum declaratióne divínam voluntátem edócti, ad eam implendam cæléstis mensæ virtúte perducámur. Qui vivis et regnas.

In I Nocturno Lectiones Fratres, Debitóres sumus, ut in Comm. plur. Mart. cum responsoriis unius Martyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Cléophas, unus ex duóbus Discípulis, quibus eúntibus in Émmaum, et de his quæ Hierosólymis in Christi morte gesta erant, sermónem conferéntibus, idem Dóminus noster Salvátor ita appáruit, ut non cognoscerétur ab illis, donec Scriptúris et Prophétis explicátis, sensim aut majórem Dómini notítiam profícerent. Die jam in vésperem inclinánte, cum coëgíssent Dóminum, fin-

géntem se lóngius ire, una secum manére, tandem inter cœnándum óculi eórum in fractióne Panis apérti sunt. Cujus rei núntium ipsi mox Hierosólymam regréssi, ad úndecim Apóstolos pertulérunt. In locis hæbráicis non dúbitat sanctus Hierónymus trádere, sanctum Cléopham Emmaúntis nóbilis quondam óppidi fuísse indígenam. Hinc ex vetéribus actis próditur sanctum Cléopham Christi Discípulum in castéllo Emmaúnte, in eádem domo, in qua mensam Dómino paravérunt, pro confessióne illíus a Judæis occísum, et gloriósa morte sepúltum.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. - Et dedit.

Lectio v

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 44 de Sanctis

Triumphális beáti Mártyris Cléophæ dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit; cujus glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic ejus propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cujus glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt : induráta vidélicet tortóris sævítia, et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur : patiéntia Mártyris, ut eam imitémur. Audi Psalmístam advérsus malítiam increpántem : Noli æmulári in malignántibus, quóniam tamquam fœnum velóciter aréscent. Quod autem advérsus malignántes patiéntia exhibénda sit, áudi Apóstolum suadéntem : Patiéntia vobis necessária

est, ut reportétis promissiónes.

℟. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. - Et voluntáte.

Lectio vi

Coronáta ítaque est beáti Mártyris patiéntia, mancipáta est ætérnis cruciátibus tortóris incorrécta malítia. Hoc atténdens in agóne suo gloriósus Christi athléta, non exhórruit cárcerem. Ad imitatiónem cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit : et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat : Quia non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Et quia momentáneum hoc et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cælis. Hujus promissiónis amóre a terrénis suspénsus, et prægustáta supérnæ suavitátis dulcédine ineffabíliter afféctus, dicébat cum Psalmísta : Quid mihi est in cælo, et a te quid vólui super terram ? Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et áqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. - Et. Glória Patri. - Et.

Lectiones III Nocturni ut in festo s. Simeonis Ep. M., die 18 Februarii.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui a mórtuis exsúrgens, beáto Cléophæ, supérnis elóquiis erudíto, in fractióne Panis teípsum revelásti: ejus nobis interventu concéde; ut sermónum tuórum declaratióne divínam voluntátem edócti, ad eam impléndam cæléstis mensæ virtúte perducámur. Qui vivis et regnas.

Et fit commemoratio b. Francisci Mariæ a Camporubeo C. 1 Ord.

In II Vesperis commemoratio sequentis tantum.

Die 28 Septembris

BETHLEHEM

S. EUSTOCHII VIRGINIS

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

Oratio

Deus, qui beátam Eustóchium Vírginem a sæculi delíciis ad Jesu Christi Fílii tui vestígia sequénda, et exímium illíus Crucis amórem traduxísti: concéde, ut ejus imitatióne ita per bona temporália transeámus; ut consequámur ætérna. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio præcedentis, b. Bernardini Conf. 1 Ordinis, et s. Wenceslai.

Lectiones I Noctur-

ni De Virgínibus, ut in Comm. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Eustóchium, Virgo, fília beátæ Páulæ, ex nobilíssima Gracchórum et Scipiónum família Romæ orta, etsi in delíciis a prima ætáte fúerat enutríta, ubi tamen adolévit, Deo inservíre, et sacros códices pro gemmis et sérico præ mánibus habére cœpit; utque cognóvit spléndidam Virginitátis margarítam, quidquid sæculáris pompæ sapiébat pédibus contrívit, seque Christo Deo spopóndit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Lectio v

Cum vero Páula ejus mater, spretis divítiis, ac líberis et Pátria relíctis, Hierosólymam navigásset, matrem secúta navigatiónis comes, cum ea páriter aliísque Virgínibus apud Béthlehem in monastério a matre constrúcto diu vixit summa sanctitáte: quo in loco, doctóre sancto Hierónymo, Scripturárum assídue lectióni et oratióni óperam dabat. Hebræam linguam sic assecúta erat, ut Psalmos, absque ulla latíni idiómatis pronunciatióne, decantáret. Quæ ita semper (ut sanctus Hierónymus refert) adhæsit matri, et ejus obedívit impériis, ut numquam absque ea cubáret, numquam procéderet, numquam cibum cáperet, ne unum quidem nummum habéret potestátis suæ, sed et patérnam et matérnam substantíolam a matre dis-

tríbui paupéribus lætarétur, et pietátem in paréntem hæreditátem máximam et divítias créderet. Hujus rogátu beátus Hierónymus præclára multa in divínos Libros édidit commentária.

℟. Dilexísti justítiam, * et odísti iniquitátem : Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Dénique cum beáta ejus mater, virtútibus clara migrásset ad Dóminum, in ejus locum suffécta est plurimárum Vírginum mater : quibus vivéndi modum beátus ipse Hierónymus trádidit. Post multos autem pro Christo consúmptos labóres, ad Sponsum vocáta, quiévit in pace, et apud matrem sepúlta est ad Dómini Præsépe, quarto Kaléndas Octóbres.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus : * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Afferéntur. Glória Patri. - Afferéntur.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Símile est... decem Virgínibus, de Communi 1 loco.

Lectio ix pro b. Bernardino a Feltria.

Oratio

Deus, qui beátam Eustóchium Vírginem a sæculi delíciis ad Jesu Christi Fílii tui vestígia sequénda, et exímium illíus Crucis amórem traduxísti; concéde, ut ejus imitatióne ita per bona temporália transeámus; ut consequámur æterna. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. b. Bernardini, ac s. Wenceslai.
Vesperæ sequentis, commemoratio præcedentis.

Die 29 Septembris

KASSAB

DEDICATIO S. MICHAËLIS ARCHANG.

Titularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario.
De Octava fit comm. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus, duplicibus I et II classis exceptis.

Die 30 Septembris

BETHLEHEM

S. HIERONYMI PRESB. CONF. DOCT.

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius Confessoris non Pontificis et in Breviario.
Lectiones I Nocturni Sapiéntiam. ut in Communi Doctoris.
In II Vesperis fit commemoratio sequentis tantum.

Die 1 Octobris

DAMASCI

S. ANANIÆ DISCIPULI DOMINI ET MART.

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius Martyris.

In I Vesperis fit comm. præcedentis tantum.

Lectiones I Noct. Fratres, Debitóres, ut in Communi plurium Mm., sed cum R̄R̄. unius Martyris.

Lectio ix pro bb. Joanne et Nicolao 1 et 3 Ordinis.

Ad Laudes fit comm. bb. Confessorum ac s. Remigii Ep. Conf.

In II Vesperis commemoratio sequentis ac bb. Confessorum.

Die 2 Octobris

EMMAUS

Octava S. CLEOPHÆ Discip. Domini et Mart.

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas, et ỳỳ. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die; reliqua ut in Communi unius Martyris, præter sequentia:

Oratio ut in die, pag. 198.

In primis Vesperis fit comm. præcedentis et ss. Angelorum Custodum.

Lectiones I Noct. Antiphonæ

de Scriptura occurrenti; II Noct. de Communi 2 loco; III Noct. ut in festo s. Simeonis, die 18 februarii hujus Proprii.

Pro nona lectione ss. Angelorum Custodum legitur ea, quæ in Breviario pro iv habetur.

Ad Laudes fit comm. ss. Angelorum.

Vesperæ sequentis sine commemoratione.

Die 3 Octobris

S. THERESIÆ A JESU INFANTE VIRG.

Missionum Patronæ

Duplex 1 classis

Omnia ut in Communi unius Virginis et in Breviario.

Lectiones I Noct. De Virgínibus.

De Vigilia et Translatione s. Claræ V. nihil.

Vesperæ sequentis commemoratio præcedentis.

Die 4 Octobris

ALEPPI, TRIPOLI AD MARE, DAMIATÆ et ALEXANDRIÆ AD MARE

S. P. N. FRANCISCI LEVITÆ ET CONF.

Ecclesiarum Titularis

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario.

Die 6 Octobris

KASSAB

Octava Dedicationis S. MICHAËLIS ARCH.

Duplex majus

Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in die festo, præter ea, quæ sequuntur.

In I Vesperis fit comm. præc., Ant. Veni, Sponsa, ℣. Diffúsa, deinde s. Mariæ Franciscæ, Ant. Símile est, ℣. Spécie tua, s. Brunonis et Octavæ S. P. Francisci, ut in Breviario.

In I Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Sermo II in festo S. Mich.

Angelórum hódie memória celebrátur, et exígitis débitum pro tanta solemnitáte sermónem. Crédimus sane, et indubitáta fide tenémus, divína eos præséntia, et visióne beátos sine fine lætári in bonis Dómini; áttamen, si multum est ad nos loqui de ea caritáte, et glória, qua in semetípsis, imo in Deo suo, Ángeli sancti nostris omníno superéminent córdibus, de ea loquámur, quam nobis éxhibent, grátia et caritáte. Neque id cuíquam incredíbile videátur, quandóquidem ipse quoque Creátor, et Rex Angelórum venit non

ministrári, sed ministrá-re, et ánimam suam dare pro multis.

℟. Hic est Míchaël Archángelus, princeps milítiæ Angelórum, * Cujus honor præstat benefícia populórum, et orátio perdúcit ad regna cælórum.

℣. Archángelus Míchaël præpósitus paradísi, quem honoríficant Angelórum cives. - Cujus.

Lectio v

Hujus ítaque tanti minístri grátia, nihil mirum si dignánter nobis, imo et libénter Ángeli sancti minístrent; ipsi enim amant nos, quia nos Christus amávit. Et hæc díxerim, fratres, ut ampliórem erga beátos Ángelos fidúciam habeátis, ac proínde familiárius in omni necessitáte vestra eórum invocétis auxília; sed et dígnius in eórum præséntia conversári, et magis, ac magis eórum vobis conciliáre grátiam, captáre benevoléntiam, exoráre cleméntiam studeátis.

℟. Venit Míchaël Archángelus cum multitúdine Angelórum, cui trádidit Deus ánimas Sanctórum, * Ut perdúcat eas in paradísum exsultatiónis.

℣. Emítte, Dómine, Spíritum sanctum de cælis, Spíritum sapiéntiæ et intelléctus. - Ut perdúcat.

Lectio vi

Cavénda nobis eórum offénsa, et in his máxime exercéndum, quibus eos nóvimus oblectári. Sunt enim plúrima, quæ eis placent, et quæ in nobis invenire deléctant: ut est sobríetas, cástitas, paupértas voluntária, crebri in cælum gémitus, et oratiónes cum lácrimis, et cordis intentióne. Áttamen super ómnia hæc unitátem, et pacem a nobis éxigunt

Ángeli pacis. Quidni máxime delecténtur in his, quæ formam quandam civitátis suæ repræséntant in nobis, ut miréntur Jerúsalem novam in terra?

℟. In témpore illo consúrget Míchaël, qui stat pro fíliis vestris: * Et véniet tempus quale non fuit ex quo gentes esse cœpérunt usque ad illud.

℣. In témpore illo salvábitur pópulus tuus omnis qui invéntus fúerit scriptus in libro vitæ. - Et véniet. Glória. - Et véniet.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cap. 18, 1-10

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

Ex Hom. 60 in Math. circa medium

Vidéte, ne contemnátis unum de párvulis istis. Párvulos hic non ætáte, sed multórum æstimatióne appellávit: páuperes, inquam, ignótos, ceterósque hujúsmodi, quos multi contémnunt, qui revéra párvuli non sunt, cum Creatóris ómnium amíci sint, quos ipse multo magis venerabilióres facit, dicens: Quia Ángeli eórum semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est.

℟. In conspéctu Géntium nolíte timére; vos enim in córdibus vestris adoráte et timéte Dóminum; * Ángelus enim ejus vobíscum est.

℣. Stetit Ángelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. - Ángelus enim ejus vobíscum est.

Lectio viii

Hinc maniféstum est, quia omnes Sancti Ángelos habent. Apóstolus étiam ait de mulíere, quóniam velámen débeat habére in cápite propter Ángelos. Et Móyses: Státuit fines Géntium secúndum númerum Angelórum Dei. Hic vero non de Ángelis simplíciter dícitur, sed de Ángelis excellántibus atque suprémis. Nihil enim áliud designátur cum dicit: Fáciem Patris mei aspíciunt, quam summa fidúcia eórum, et honor præcípuus. Vides, quot, quibúsque ratiónibus ad modéstiam, et ad curam tenuiórem fratrum nos révocat. Infántem in médio státuit, et dixit: Efficiámini sicut párvuli, et quicúmque talem suscéperit párvulum, me suscípiet, et quicúmque hunc scandalizáverit, extréma luet supplícia, et scandalizántes hómines, étiam si loco mánuum atque oculórum nobis essent, abscíndere jussit; Angelórum quoque auctoritáte, qui hos ténues fratres tutántur, ut eos venerémur impéllit.

℟. Míchaël Archángelus venit in adjutórium pópulo Dei, * Stetit in auxílium pro animábus justis.

℣. Stetit Ángelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua. - Stetit. Glória. - Stetit.

Lectio ix

Pro s. Maria Francisca a quinque Vulner. Virg. 3 Ord.

María Francísca a quinque Vulnéribus Jesu Christi, Neápoli honéstis paréntibus orta, jam septénnis ex sacerdótibus consílio Eucharístico pábulo refécta, Deo ab infántia prorsus adhæsit. Cæléstis Sponsi desidério flá-

grans, nulla ratióne ad ineúndas núptias addúci pótuit; sed hábitum Tértii Órdinis sancti Francísci índuit et suscépti Institúti leges adamússim servávit. Jejúniis, vigíliis, aliísque asperitátibus corpúsculum suum uti inimícum dure habébat. Ádeo pati exoptábat, ut ingravescénte ætáte, morbísque vexáta, tantum medicórum et spirituális moderatóris sui jússibus coácta, de consuéto sui cruciátu páululum relaxáret. Virginitátem ab impudéntium insídiis atque apérta vi intácta servávit. Cæléstibus rebus inténta frequénter in écstasim rapiebátur. Deíparam ut matrem ex ánimo diligébat et impénse venerabátur. Ægrótos atque ínopes omnímoda caritáte reficiébat et solabátur. Supérnis licet cumuláta donis, ita humíliter de se sentiébat, ut multis obnóxiam culpis se profiterétur. Diútinis tandem morbis patientíssime tolerátis absúmpta, ad cæléstem Sponsum migrávit prídie nonas octóbres, anno millésimo septingentésimo primo, ætátis suæ septuagésimo séptimo. Eam Summus Póntifex Gregórius décimus sextus inter beátas, Pius vero nonus inter sanctas Vírgines adnumerávit.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit comm. s. Mariæ Franciscæ, s. Brunonis et Octavæ s. Francisci.

Vesperæ sequentis, comm. præcedentis, s. Mariæ Franciscæ et s. Brunonis tantum.

Die 22 Octobris

HIEROSOLYMIS AD SS. SALVATOREM GETHSEMANI, EMMAUS, ET IN SS. M. THABOR

DEDICATIO PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Breviario.

Die 5 Novembris

IN MONTANIS JUDÆÆ

S. ZACHARIÆ PATRIS Præcursoris Domini

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius Conf. non Pont., præter ea quæ hic habentur propria.

Ad Magnificat Ant. Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Ángelus stans a dextris Altáris incénsi.

Oratio

Vígeat, quæsumus Dómine, semper in méntibus nostris Divínæ tuæ præséntiæ memória, suffragántibus méritis beáti Zacharíæ, quem Præcursóris Fílii tui patrem esse voluísti: ut te super ómnia diligéntes, ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit comm. præcedentis ac sacrarum Reliquiarum tantum, ut in Breviario.

In I Nocturno Lectiones Beátus vir.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Hom. 2 contra Anomæos

Fuit Zacharías vir miræ virtútis, præclaríque nóminis, Sacerdótio præditus, et patrocínium totíus pópuli comméritus apud Deum immortálem. Qui Sancta Sanctórum ingréssus, ipsum scílicet penetrále, quod uni fas erat illi inspícere, ac pro pópulo Deo súpplicans, et Dóminum reddens propítium fámulis, quasi quidam esset intérpres Dei et hóminum, vidit Ángelum intra paríetem sacri illíus domicílii stantem, cujus aspéctu ictus, atque expávidus vocem audívit: Noli timére, Zacharías, exaudíta est orátio tua, et ecce Elísabeth uxor tua páriet fílium.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Et.

Lectio v

Sed unde hæc verba consequéndi habent ratiónem? Ille pro pópulo rogábat, pro peccátis véniam suis consérvis implorábat: hic, noli timére, inquit, nam exaudíta est orátio tua; atque exaudiéndi indícium addit, fílium in lucem ventúrum Joánnem. Vide, quam recte ista sequántur. Cum pro peccátis rogáret pópuli, nasci ex eo debére fílium, qui clamáret: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccátum mundi. Ratió-

ne sane óptima ita Ángelus rétulit: exaudíta est orátio tua.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Índuit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Quid ille ad hæc? Conspicátus est suam ætátem, suam canítiem: animadvértit suæ uxóris natúram stérilem: atque ita diffídit, et modum quo ita fíeret, pétiit. Nonne illi seni díxeris ignoscéndum, cum rerum órdinem petat, et legem natúræ considerat? Sed tamen Deo nullam véniam meréri visus est. Cum enim ásserit Deus, nullus rerum consequéntiæ, aut natúræ necessitáti locus relínquitur. Idcírco moléste Ángelus tulit, nec Sacerdótii quidem negótio pepércit. Imo ob ipsum pœnam illi subeúndam cénsuit gravióre m. Qui enim, plusquam céteri, obtinébat honóris, fidem quoque habére debébat céteris ampliórem. Et eris, inquit, tacens, et non póteris loqui usque in diem, quo hæc fient.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam; * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. - Quia. Glória Patri. - Quia.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. I

Fuit in diébus Heródis, regis Judææ, sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abía, et uxor illíus de filiábus

Áaron, et nomen ejus Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Libr. 1 in Lucam

Docet nos Scriptúra divína, non solum mores in iis, qui prædicábiles sunt, sed étiam paréntes oportére laudári : ut véluti transmíssa immaculátæ puritátis heréditas, in iis, quos vólumus laudáre, præcéllat. Quæ enim ália inténtio hoc loco sancti Evangelístæ, nisi sanctus Joánnes Baptísta nobilitétur paréntibus, miráculis, móribus, múnere, passióne? Sic étiam sancti Sámuel mater Anna laudátur : sic Ísaac a paréntibus nobilitátem pietátis recépit, quam pósteris derelíquit. Sacérdos ítaque Zacharías, nec solum sacérdos, sed étiam de vice Abía, id est, nóbilis inter superióres famílias.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Ecce homo sine quæréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. - Ipse intercédat.

Lectio viii

Et uxor, inquit, illi de filiábus Áaron. Non solum ígitur a paréntibus, sed étiam a majóribus sancti Joánnis nobílitas propagátur, non sæculári potestáte sublímis, sed religiónis successióne venerábilis. Tales enim majóres habére débuit prænúntius Christi, ut non repénte concéptam, et ipso infúsam jure natúræ, prædicáre fidem Domínici viderétur advéntus. Erant, inquit, ambo justi ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis, et

justificatiónibus Dómini sine queréla. Quid ad hoc réferunt, qui peccátis suis solátia præferéntes, sine peccátis frequéntibus hóminem putant esse non posse: et utúntur versículo, quia scriptum est in Job: Nemo mundus a sorde, nec si uníus diéi vita ejus sit in terra?

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. Glória Patri. - Et vos.

Lectio ix

Quibus respondéndum est, prius ut quid sit hóminem sine peccáto esse, defíniant: utrum numquam omníno peccásse, an desiísse peccáre. Si enim hoc putant sine peccáto esse, numquam omníno peccásse, et ipse conséntio. Omnes enim peccavérunt, et egent glória Dei. Sin autem eum, qui véterem errórem corréxerit, et in eam se vitæ transformáverit qualitátem; ut témperet a peccáto, negant abstinére a delíctis; non possum in eórum convenírе senténtiam, cum legámus: Quia sic Dóminus diléxit Ecclésiam, ut exhíbeat ipsam sibi gloriósam, et non habéntem máculam, aut rugam, aut áliquid ejúsmodi: sed ut sit sancta, et immaculáta.

Te Deum laudámus.

Ad Benedictus Ant. Zacharías, pater ejus, replétus est Spíritu Sancto, et prophetávit dicens: Benedíctus Deus Israël.

Oratio

Vígeat, quæsumus Dómine, semper in méntibus nostris divínæ

tuæ præséntiæ memória, suffragántibus méritis beáti Zacharíæ, quem Præcursóris Fílii tui Patrem esse voluísti: ut te super ómnia diligéntes; ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Per eúmdem.

Et fit commemoratio ss. Reliquiarum ut in Breviario.

Vesperæ a capitulo sequentis, commemoratio præcedentis, SS. Reliquiarum et b. Margaritæ, ut infra.

Die 6 Novembris

In Montanis Judææ

S. ELISABETH MATRIS Præcursoris Domini

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius non Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

Ad Magnificat Ant. Ut audívit salutatiónem Maríæ, repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Deus, qui in præclára stérilis beátæ Elísabeth fœcunditáte mundum lætificásti: præsta quæsumus, ut per quam cæléstis Regis præcónem in terris audívimus; ejus quoque précibus sempitérnæ vitæ gáudia in Cælo percípere mereámur. Per eúm-

tuæ præséntiæ memória, suffragántibus méritis beáti Zacharíæ, quem Præcursóris Fílii tui Patrem esse voluísti: ut te super ómnia diligéntes; ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Per eúmdem.

Et fit commemoratio ss. Reliquiarum ut in Breviario.

Vesperæ a capitulo sequentis, commemoratio præcedentis, SS. Reliquiarum et b. Margaritæ, ut infra.

Die 6 Novembris

In Montanis Judææ

S. ELISABETH MATRIS Præcursoris Domini

Duplex 2 classis

Omnia de Communi unius non Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

Ad Magnificat Ant. Ut audívit salutatiónem Maríæ, repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Deus, qui in præclára stérilis beátæ Elísabeth fœcunditáte mundum lætificásti: præsta quæsumus, ut per quam cæléstis Regis præcónem in terris audívimus; ejus quoque précibus sempitérnæ vitæ gáudia in Cælo percípere mereámur. Per eúm-

dem Dóminum nostrum.

Et fit commem. s. Zachariæ Conf.

Ant. Ne tímeas Zacharía; quóniam exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Vígeat, ut supra.

Deinde fit commemoratio SS. Reliquiarum, et b. Margaritæ a Lotharingia Vid. 2 Ord. Ant. Símile est. ℣. Diffúsa.

In I Nocturno

Lectiones Muliérem fortem, de Communi 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Sermo sancti Petri Chrysólogi

Ex Sermone 92

Post hæc áutem concépit Elísabeth uxor ejus. Erat illis conjúgii facúltas, quibus ínerat adhuc legis adolescéntia, instábat adhuc religiónis infántia. Lex, fratres, illícita prohíbuit, lícita non negávit; intra donum ténuit, supra donum conférre nihil pótuit; natúram rexit, supra natúram hóminem non eréxit. Lex fídei jánua grátiæ núntia, Evangélii prævia, pedagógus religiónis infántiæ, remísit in Sacerdótio legáli conjúgii castitátem; ut in Pontificátu grátiæ ventúram perpétuæ virtútis glóriam nuntiáret. Secúndum hanc ergo indulgéntiam Elísabeth annositáte jam mórtua sanctum revivíscit in partum; et árida, atque exaráta rugis membra medúllis vitálibus in víscera fœcúnda viridántur; ipsum quoque tem-

pus, ipsum, in quo desíerat, revocátur ad corpus, et vetustáte nímia domus úteri dilápsa in fáciem novam repénte reparátur. Stupet ordo, déficit consuetúdo, mirátur ipsa natúra, et ex apparátu mansiónis hospítii méritum, dignitásque innotéscit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Et.

Lectio v.

Et occultábat se Elísabeth ménsibus quinque; quia erat divíni múneris, sui tamen témporis non erat, quod habébat. Erubéscit anus fœta, verecundátur vétula primi partus; et puérperam senéctus abscóndit extréma ne sterilitátis oppróbrium risus fœcúndæ senectútis augéret. Hinc est, quod Elísabeth sacrum vult celáre mystérium, dicéndo : quia sic mihi fecit Dóminus : ut modo concéptus fatíget verecúndia, quam diu negáti partus ærúmna afflíxit. Pater tacet ex pœna; ex verecúndia mater celat. O quanta siléntio vox náscitur! O quanta taciturnitáte tuba sæculis inclamatúra generátur! O quod secrétum divíni Júdicis dat præcónem.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam. - Proptérea.

Lectio vi

Quia sic mihi fecit Dóminus in diébus, quibus respéxit auférre oppróbrium meum inter hómines. Honor conjúgii, Matrimónii dígnitas est procreátio dúlcium liberórum. Satis enim

grave est, et satis triste et virginitátis carére præmio, et filiórum solátia non habére; sustinére ónera matrimónii, et ad fructum matrimónii non veníre. Hinc est, quod gáudet a se ablátum sterilitátis oppróbrium; quia hoc apud hómines míserum computátur; apud Deum vero reátus nullus est, ubi paréntis culpa nulla est, sed judícium denegántis. Sed jam nunc omnis ignáva carnis intelligéntia sit remóta, tota corpórei sensus objiciátur infírmitas, et quæcúmque est, ingénii humáni omnis excludátur inténtio. Fídei páteant óculi, cordis reseréntur áures, mentis currat, et incúrrat incéssus, ut perveníre ad Mystérium Virgínei concéptus, ad Sacraméntum partus Virgínei penetráre possímus.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur.

℣. Date ei de fructu mánuum suárum et láudent eam in portis ópera ejus. - Múlier. Glória Patri. - Múlier.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Cap. 2

In illo témpore: Exsúrgens María, ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda. Et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Libr. 2 Comment. in Luc. cap. 2 post init.

Contuéndum est, quia supérior venit ad inferiórem, ut infórior adjuvétur: María ad Elísabeth, Christus ad Joánnem. Dénique étiam póstea, ut sanctificáret baptísmum Joánnis, Dó-

minus venit ad baptísmum. Cito quoque advéntus Maríæ, et præséntiæ divínæ benefícia declarántur. Vide distinctiónem, singulorúmque verbórum proprietátem. Vocem prior Elísabeth audívit; sed Joánnes prior grátiam sensit. Illa natúræ órdine audívit, iste exsultávit ratióne mystérii. Illa Maríæ, iste Dómini sensit advéntum. Istæ grátiam loquúntur, illi intus operántur, pietatísque mystérium matérnis adoriúntur profectibus, duplicíque miráculo prophétant matres spíritu parvulórum. Exsultávit infans, repléta est mater. Non prius mater repléta, quam fílius: sed cum fílius esset replétus Spíritu Sancto, replévit et matrem.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in língua ejus: considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit.

℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. - Et panem.

Lectio viii

Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Hoc est, quo tantum bonum mihi áccidit, ut mater Dómini mei véniat ad me? Miráculum séntio, agnósco mystérium: mater Dómini verbo fœta, Deo plena est. Mansit áutem María cum illa ménsibus tribus, et revérsa est in domum suam. Bene indúcitur sancta María, et exhibuísse offícium, et mýsticum númerum custodísse.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi; * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum; dico ego ópera mea regi. -

Quem vidi. Glória Patri. - Quem vidi.

Lectio ix

Pro b. Margarita a Lotharingia Vid., alias:

Non enim sola familiaritátis est cáusa, quod diu mansit, sed étiam tanti vatis proféctus. Nam si primo ingréssu tantus proféctus éxtitit, ut ad salutatiónem Maríæ exsultáret infans in útero, replerétur Spíritu Sancto mater infántis: quantum putámus usu tanti témporis sanctæ Maríæ addidísse præséntiam! Ungebátur ítaque, et quasi bonus athléta exercebátur in útero matris Prophéta: amplíssimo enim virtus ejus certámini parabátur.

Te Deum laudámus.

Ad Benedict. Antiph. Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo.

Oratio

Deus, qui in præclára stérilis beátæ Elísabeth fæcunditáte mundum lætificásti: præsta quæsumus, ut per quam cæléstis Regis præcónem in terris audívimus; ejus quoque précibus sempitérnæ vitæ gáudia in Cælo percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio b. Margaritæ, Ant. Date ei, ℣. Spécie.

In II Vesperis

Ad Magn. Antiph. Dixit Elísabeth ad Maríam: Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Et fit commemoratio sequentis et b. Margaritæ Ant. Manum, ℣. Spécie.

Die 21 Novembris

PRÆSENTATIONIS B. MARIÆ VIRG.

Duplex 2 classis

Omnia ut in Breviario.

Die 25 Novembris

ALEXANDRIÆ ÆGYPTI

S. CATHARINÆ VIRG. ET MART.

Patronæ principalis Civitatis

BETHLEHEM, ALEXANDRIÆ AD S. CATHARINAM, ET LIMASSOL

Ecclesiarum Titularis

Duplex 1 classis cum Octava communi

In I Vesperis

Antiphonæ et Capitulum de Laudibus, Psalmi ut in Communi unius Virginis.

Hymnus

Catharínæ vox triúmphum
Láude plena pérsonet;
Ferte palmas, ferte láuros,
Juncta passim lília:
Virgo vincit, virgo mixtum
Lacte fundit sánguinem.
In tyránnum par nec armis
Par nec ipsa víribus,
Sola surgit, et minántem
Ridet, urget, íncrepat:

Vir puéllæ sustinére
Nescit unus ímpetum.
Prodit artem docta vanis
Turba nodis téxere
Verba luce clarióra;
Verba mellis æmula,
Quæ pudíco ex ore manant,
Tela jacta díxeris.
Cedit agmen, cedit ultro
Victa virtus hóstium:
Nec satis se christiáno
Censet áuctam nómine,
Ni tyránni vincat iras,
Sæva vincat vérbera.
Hinc supérstes virgo blandis
Provocátur ártibus:
Ast inánis horror atri
Supplet artes cárceris:
Orta cum mox alma noctem
Lux fugávit hórridam.
Sempitérna sit Parénti,
Sempitérna Fílio;
Utriúsque sempitérna
Sit tibi laus Spíritus:
Cui repéndit mille grates
Cœtus almus vírginum.
Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua.
℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnificat Antiph.
Prudens et vígilans virgo Catharína, qualis es cum sponso, qui te elégit de mundo! Quam pulchra, quam mirábilis, quanta luce spectábilis inter Sion juvénculas et Jerúsalem fílias! Thálamo gáudes régio, conjúncta Dei Fílio.

Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Ángelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum vivit.

Ad Matutinum

Invitator. Adorémus Regem Christum vírgi-

num Sponsum: * Qui Catharínam sibi fide desponsávit.

Ps. Veníte exsultémus.

Hymnus

Pange língua gloriósæ
Passiónem Vírginis:
Nulla tantam gemma lucem,
Nulla tantum dat decus;
Hanc fugándis Christus umbris
Suscitávit sæculi.

Virgo pœnis tot probáta,
Tot supérstes mórtibus,
Vim rotárum præparátam
Et nefándam máchinam
Fortióri solvit áucta
Spíritus juvámine.

Nam precátur, cum repénte
Sæva moles sólvitur:
Inde lignis, inde clavis
Icta turba cóncidit:
Salva sancto tunc rigári
Pars lavácro póstulat.

Ipsa conjux Maximíni
Prima sortis párticeps:
Agmen una, seque belli
Ductor alter ádjicit:
Ecce quantam casta, sponso,
Sponsa prolem párturit.

Sempitérna sit Parénti,
Sempitérna Fílio;
Utriúsque sempitérna
Sit tibi laus Spíritus:
Cui repéndit mille grates
Cœtus almus vírginum.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Christus est Deus meus, qui in ligno fuit exténsus, qui mórtuus, qui ex sepultúra in cælum fuit sublevátus.

Psalmi trium Nocturnorum ut in Festo Fugæ D. N. J. C., die 17 Februarii, tertio secundi Nocturni excepto, ut infra.

Ant. Ne putétis Deos esse simulácra hóminum, qui in vítiis vitam míisere finiérunt.

Ant. Ego jam semel dixi me Christiánam esse: veni ut essem spon-

sa Christi, quem toto corde diléxi.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Lectio i

De Libro Sapiéntiæ

Cap. 7, 7

Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne áurum in comparatióne illíus, aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in comparatióne illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Venerándam Catharínæ vírginis festivitátem celebrémus; et quáliter passa sit, in memóriam revocémus. Illústribus orta natálibus, plena fide et fortitúdine, sponte tyránnum ádiit, gáudens ad martýrium cucúrrit: * Quia Christi sponsi sui inflammabátur amóre.

℣. Ómnium ártifex dócuit illam sapiéntia, et Dóminus ómnium diléxit eam. - Quia.

Lectio ii

Venérunt áutem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætáta sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter

disciplínæ dona commendáti.

℟. Si velis, Imperátor, tuam abjícere deceptiónem, fácile deprehéndes, quidnam sint Dii tui; Deum quoque verum agnósces: * Cujus vel solum nomen pronuntiátum, aut crux in áere figuráta, deos tuos vertit in fugam.

℣. Christus est Deus meus ætérnus, et immortális, et super ómnia desiderábilis. - Cujus.

Lectio iii

Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, sciéntiam veram: ut sciam dispositiónem orbis terrárum, et virtútes elementórum, inítium et consummatiónem et medietátem témporum, vicissitúdinum permutatiónes, et commutatiónes témporum, anni cursus, et stellárum dispositiónes: natúras animálium, et iras bestiárum, vim ventórum, et cogitatiónes hóminum, differéntias virgultórum, et virtútes radícum, et quæcúmque sunt abscónsa et improvísa, dídici: ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia.

℟. Ángelus Dómini appáruit Catharínæ, dicens: Noli timére, Dei puélla: præter sapiéntiam a te comparátam, áltior tibi a Deo dábitur sapiéntia, qua sapiéntes confúndes: * Et eos cum plúrimis ad Christum addúces: * Et cum martýrii palma ad cælum transmíttes.

℣. Perdes sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábis. - Et eos. Glória Patri. - Et cum.

In II Nocturno

Ant. Versáta sum in omni disciplinárum génere: sed nihil hæc ómnia ducens, veni ut desponsárer immortáli sponso Christo.

Ant. Noli timére, Dei

sponsa: sublímior tibi dábitur sapiéntia, qua sapiéntes confúndas, et ad Christum addúcas.

Ant. Estis vere beáti: quod relíctis ténebris, secúti estis lumen veritátis; et terréno rege rejécto, ad immortálem accessístis.

Psalmus 47

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis, * in spíritu vehémenti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * justítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus: * et distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Estis vere beáti: quod relíctis ténebris, secúti estis lumen

veritátis; et terréno rege rejécto, ad immortálem accessístis.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Lectio iv

Catharína, nóbilis virgo Alexandrína, a prima ætáte stúdia liberálium ártium cum fídei ardóre conjúngens, brevi ad eam sanctitátis et doctrínæ perfectiónem pervénit, ut decem et octo annos nata eruditíssimum quemque superáret. Quæ cum Maximíni jussu multos propter christiánæ religiónis professiónem várie torméntis cruciátos, ad supplícium rapi vidéret, non dubitánter ipsum ádiit Maximínum, eíque nefáriam immanitátem objíciens, sapientíssimis ratiónibus Christi fidem ad salútem necessáriam esse affirmávit.

℟. Beáta es, o Imperátrix, si Christo adhæseris, et in ipsum credas: * Ecce vídeo in Angelórum mánibus corónam tuam in altum elátam, quam moriéndo pro Christo, post diem tértium consequéris.

℣. Noli timére: habébis enim Christum in corde, ad quem perpétuo regnatúra procédes. - Ecce.

Lectio v

Cujus prudéntiam Maximínus admirátus, retinéri eam jubet, accersítis úndique doctíssimis homínibus, magnísque propósitis præmiis, qui convíctam Catharínam a Christi fide ad idolórum cultum perduxíssent. Quod contra áccidit. Nam plures philósophi, qui ad eam coarguéndam convénerant, vi ac subtilitáte ejus disputatiónis tanto Jesu Christi amóre sunt incénsi, ut pro illo mori non dubitáverint. Quam ob rem Maximínus blándítiis ac promíssis Ca-

tharínam de senténtia dedúcere aggréditur: verum id frustra fíeri intélligens, verbéribus afféctam, plumbatísque contúsam, dies úndecim sine cibo ac potu inclúsam tenet in cárcere.

℟. Virgo dire flagellátur: cruciánda fame religátur: cárcere cláusa manet: lux cælica fusa refúlget: * Fragrat odor: dulces cantant cæli ágmina láudes.

℣. Sponsus amat sponsam, Salvátor vísitat illam. - Fragrat.

Lectio vi

Quo témpore Maximíni uxor, et Porphýrius belli dux, viséndæ vírginis cáusa cárcerem ingréssi, et ejúsdem prædicatióne in Jesum Christum credéntes, póstea martýrio coronáti sunt. Ínterim Catharína edúcitur e custódia, et rota expedítur, crebris et acútis præfíxa gládiis, ut vírginis corpus crudelíssime dilacerarétur. Quæ máchina brevi, Catharínæ oratióne, confrácta est: eóque miráculo multi Christi fidem suscepérunt. Ipse Maximínus in impietáte et crudelitáte obstinátior, Catharínam secúri pércuti ímperat. Quæ fórtiter dato cápite, ad duplicátum virginitátis et martýrii præmium evolávit, séptimo Kaléndas Decémbris: cujus corpus ab Ángelis in Sina Arábiæ monte collocátum est.

℟. Désipis, Imperátor, advérsus Deum decértans. Ne atténdas córporis pulchritúdinem, quæ cito perit: * Sum Christi sponsa, cui ánimæ pulchritúdinem servo: * Quem amávi, quem diléxi, et toto corde quæsívi.

℣. Omnis glória ejus Fíliæ Regis ab intus. - Sum. Glória Patri. - Quem.

In III Nocturno

Ant. Dæmones, quos Deus nóminas, spectris vos decípiunt dæmonía-

cis, et vos ad libídinem próvocant, et nefárias cupiditátes.

Ant. Dixit Porphýrius Catharínæ: Quid dabit mihi Christus, si in eum credam, cui jam militáre desídero?

Ant. Nulla lingua narábit bona, quibus fruéris, et quæ paráta sunt eis, qui díligunt Christum.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cap. 25, 1

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 12 in Evangelia

Sæpe vos, fratres caríssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi hujus inquinaménta devitáre: sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut et bona quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis: ne per hoc quod a vobis rectum géritur, favor aut grátia humána requirátur: ne appetítus láudis subrépat, et quod foris osténditur, intus a mercéde vacuétur. Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis jánuam non omnes sunt recéptæ: quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt.

℟. Beáta Catharína ímpii tyránni jussu horréndam rotárum máchi-

nam lætánter ingréssa, orábat ad Dóminum, ut eam eríperet de mánibus inimicórum. * Vi divína solúta máchina, perémptis tortóribus, virgo illæsa permánsit.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur. - Vi divína.

Lectio viii

Sed prius quæréndum nobis est, quid sit regnum cælórum, aut cur decem virgínibus comparétur, quæ étiam vírgines prudéntes et fátuæ dicántur. Dum enim cælórum regnum constat, quia reprobórum nullus ingréditur, étiam fátuis virgínibus cur símile esse perhibétur? Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur. De quo ália in loco Dóminus dicit: Mittet Fílius hóminis Ángelos suos, et cólligent de regno ejus ómnia scándala. Neque enim in illo regno beatitúdinis, in quo pax summa est, inveníri scándala póterunt, quæ colligántur.

℟. Virgo percússa gládio, dat lac pro sánguine collo: * Quam manus Angélica sepelívit in vértice Sínai.

℣. Membris virgíneis ólei fluit unda salúbris. Quam. Glória Patri. - Quam.

Lectio ix

In quinque áutem córporis sénsibus unusquísque subsístit. Geminátus áutem quinárius denárium pérficit. Et quia ex utróque sexu fidélium multitúdo collígitur, sancta Ecclésia decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis admíxti sunt, recte símilis prudéntibus et fátuis esse perhibétur. Sunt namque pleríque continéntes, qui ab ap-

petítu se exteriori custódiunt, et spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant, et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant, ætérna præmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere láudes humánas nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in óre hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes

et per Horas

Ant. 1. Inclyta virgo Catharína * intrépide Maximínum ádiit, ut ab idolórum vanitáte ad veram Christi fidem eum sapiénter addúcat.

Psalmi de Dominica.

2. Oportébat, o Imperátor, * tuam te agnóscere deceptiónem, ne simulácris tamquam diis sacrifícia ófferas, et stultam plebem decípias.

3. Solum Christum, * qui est Deus ætérnus et immortális, sponsum hábeo et consiliárium.

4. Hábeo sapiéntiam donum Dei mei: qui est sapiéntia et vita; et quem timére inítium sublimióris sapiéntiæ est.

5. Ornaméntum virginitátis, * et stolam martýrii præfero cuívis púrpuræ régiæ.

Capit. Eccli. 51, 1

Confitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus

Lucis ortu jam decóræ,
Christe sponse Vírginum,
Corde puro, voce læta,

Láudis hymnum prómimus:
Te favénte dum triúmphans
Virgo palmas ággregat.
Ista demum tot corónis
Laureísque nóbilis,
Icta ferro virgo rivos
Alba fundit lácteos:
Hoc, tyránne, suge nectar,
Suge mansuetúdinem.
Legis in quo monte primum
Verba Numen édidit,
Corpus illic collocátur,
Angelórum múnere:
Hos minístros, hoc sepulcrum
Virgo talis óbtinet.
Urna ab illa sacra sudat
Unctiónis cópia,
Qua repénte corpus ægrum
Sospitáti rédditur:
Christe mentis terge labes
Unctióne grátiæ.
Sempitérna sit Parénti,
Sempitérna Fílio;
Utriúsque sempitérna
Sit tibi laus Spíritus:
Cui repéndit mille grates
Cœtus almus vírginum.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Benedictus, Ant.

Ave, vírginum gemma, Catharína: Ave, sponsa Regis regum gloriósa: Ave, viva Christi hóstia: tuam venerántibus memóriam, desideráta non déneges suffrágia.

Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Ángelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti: præsta, quæsumus; ut ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus. Qui tecum.

Ad Horas Pss. ut in Festis.

Ad Tertiam

Capitulum Confitébor, ut supra.

℟. br. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. - Spécie. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. - Et. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam

Capit. Eccli. 51, 4

Liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

℟. br. Adjuvábit eam * Deus vultu suo. - Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. - Deus. Glória Patri. - Adjuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam

Capit. Eccl. 51, 8

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. - Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. - Et. Glória Patri. - Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In II Vesperis

Omnia ut in primis, præter:

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnificat Ant. Beáta Catharína ad martýrium ducta, orábat dicens: Dómine Jesu Christe, tibi grátias ago, quod statuísti super petram pedes meos, et direxísti gressus meos: nunc súscipe ánimam meam, quam sacrificávi pro te: da ut hoc corpus meum, quod pro te fuit conscíssum, non possit áspici ab homínibus: meménto quoque eórum, qui per me ínvocant nomen sanctum tuum: ut per ómnia laudéntur magnália tua.

Et fit commemoratio s. Leonardi a Portu Mauritio Conf. 1 Ord., ac s. Silvestri Abb. ut in Breviario.

De Octava fit quotidie commemoratio tam in Vesperis, quam ad Laudes, duplicibus I et II classis exceptis.

Die 2 Decembris

Octava S. CATHARINÆ Virg. et Mart.

Duplex majus

Antiph. et Psalmi ad omnes Horas, et ℣℣. Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in die festo, præter sequentia.

In I Vesperis fit comm. præc., et s. Bibianæ V. M., ℣. Diffúsa, ac Feriæ in Adventu.

Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrenti.

In II Nocturno

Lectio iv

De Epístola sancti Hierónymi Presbýteri ad Eustóchium

De custodia Virginitatis tomo 1 circa medium

De virgínibus, inquit Apóstolus, præcéptum Dómini non hábeo. Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriæ voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confíngunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem, intúlerit: Volo áutem omnes esse sicut meípsum. Et infra: Dico áutem innúptis et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte præcéptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur et offértur: quia si fuísset virgínitas imperáta, núptiæ videbántur ablátæ; et duríssimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab homínibus extorquére.

℟. Beáta es, o Imperátrix, si Christo adhæseris, et in ipsum credas; * Ecce vídeo in Angelórum mánibus corónam tuam in altum elátam, quam moriéndo pro Christo, post diem tértium consequéris.

℣. Noli timére: habébis enim Christum in corde, ad quem perpétuo regnatúra procédes. - Ecce.

Lectio v

Alia fuit in véteri lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem; et: Maledícta stérilis quæ non pariébat; et: Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ. Vácuus erat orbis, et, ut de týpicis táceam, sola erat benedíctio liberórum.

Proptérea et Ábraham jam senex Cethúræ copulátur, et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiæ figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Eliséus virgo, vírgines multi fílii prophetárum. Jeremíæ dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus in útero, captivitáte propinqua, uxórem prohibétur accípere. Áliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quæ est ista necéssitas, quæ áufert gáudia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Virgo dire flagellátur: cruciánda fame relegátur: cárcere cláusa manet: lux cǽlica fusa refúlget: * Fragrat odor: dulces cantant cæli ágmina láudes.

℣. Sponsus amat spónsam, Salvátor vísitat illam. - Fragrat.

Lectio vi

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiæ bonum, et in dolóribus júgiter Heva parturiébat. Postquam vero virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus principátus in húmeros ejus, Deum, fortem, patrem futúri sæculi, solúta maledíctio est. Mors per Hevam, vita per Maríam. Ideóque et dítius virginitátis donum fluxit in féminas, quia cœpit a fémina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instituit, ut qui ab Ángelis adorabátur in cælo, habéret Ángelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quæ non

est nupta, cógitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta córpore et Spirítu.

℟. Désipis, Imperátor, advérsus Deum decértans. Ne atténdas córporis pulchritúdinem, quæ cito perit: * Sum Christi sponsa, cui ánimæ pulchritúdinem servo; * Quem amávi, quem diléxi, et toto corde quæsívi.

℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus. - Sum. Glória Patri. - Quem.

In III Nocturno

Lectio vii

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Cap. 25, 1

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Ex sermone 23 de Verbis Domini. Cap. 8

Inténdat ítaque cáritas vestra. Sapiéntium lámpades ardébant de óleo ætérno, de consciéntiæ securitáte, de interióre glória, de íntima caritáte. Ardébant tamen et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant láudes hóminum. Póstea vero quam surrexérunt, idest in resurrectióne a mórtuis, cœpérunt aptáre lámpades suas, idest paráre Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui láudet, omnis homo cáusæ suæ vacat: non erant qui óleum vénderent, cœpérunt defícere lámpades.

℟. Beáta Catharína ímpii tyránni jussu horréndam rotárum máchinam lætánter ingréssa, orábat ad Dóminum, ut

eam eríperet de mánibus inimicórum. * Vi divína solúta máchina, perémptis tortóribus, virgo illésa permánsit.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus non commovébitur. - Vi divína.

Lectio viii

Circa finem, Cap 10

Cláusum est óstium. Et quid illis dictum est: Non novi vos? Non illas novit, qui ómnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Ímprobo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est áutem magnum, et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes, ad istam prudéntiam quinárii númeri pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus véniet. Sic cláusit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem neque horam.

℟. Virgo, percússa gládio, dat lac pro sánguine collo: * Quam manus angélica sepelívit in vértice Sínai.

℣. Membris virgíneis ólei fluit unda salúbris. - Quam. Glória Patri. - Quam.

Lectio ix

Pro s. Bibiana V. et M.

Bibiána, virgo Romána, nóbili génere nata, christiána fide nobílior fuit. Ejus enim paréntes, Flaviánus et Dafrósa, sub Juliáno Apóstata martýrium subiérunt. Tum Bibiána ejúsque soror Demétria, bonis ómnibus exspoliátæ et ab Aproniáno, Urbis prætóre, blandítiis et minis tentátæ, ut a recta fide declinárent, prætóris impietátem constantíssime detestátæ sunt. Quo

in agóne Demétria, ob óculos Bibiánæ repénte córruens, óbiit in Dómino. Bibiána áutem Rufínæ muliéri vaférrimæ seducénda tráditur: sed, ejus superátis insídiis, prætóris astus delúsit. Quáre hujus jussu plumbátis cæsa est, donec ánimam efflávit. Ejus sacrum corpus, bíduo cánibus objéctum, illæsum tamen divínitus servátum, Joánnes présbyter sepelívit noctu juxsta sepúlcrum soróris et matris ad palátium Liciniánum, ubi nunc exstat ecclésia Deo, sanctæ Bibiánæ nómine, dicáta.

Te Deum laudámus.

In Laudibus fit commemoratio s. Bibianæ V. M., ℣. Spécie et Feriæ in Adventu.

Vesperæ sequentis, commemoratio Feriæ tantum.

Die 3 Decembris

S. FRANCISCI XAVERII CONF.

Missionum Patroni

Duplex 1 classis

Omnia de Communi unius Conf. non Pontif., et in Breviario, præter Lectiones I noct. Beátus vir, de 1 loco.

In Vesperis et ad Laudes comm. Feriæ.

In II Vesperis fit comm. sequentis et Feriæ.

Die 5 Decembris

HIEROSOLYMIS

B. NICOLAI DE TAVILEIS M. I. ORD.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario, sed in I Vesperis fit comm. præc., et Feriæ, ac s. Sabbæ Abb.

In II Vesperis commemoratio sequentis, et feriæ.

IN TOTA CUSTODIA

Duplex

Omnia ut supra, sed in II Vesperis fit a capitulo sequentis, comm. præcedentis, et feriæ.

Die 8 Decembris

KAFR-EL-ZAYAT - JACUBIE
DEKHELA APUD ALEXANDRIAM ÆGYPTI

IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V.

Ecclesiarum Titularis

Omnia ut in Breviario.

Die 13 Decembris

ABUKIR IN ÆGYPTO

S. LUCIÆ VIRG. ET MART.

Titularis Ecclesiæ

Duplex 1 classis cum Octava communi

Omnia ut in Communi unius Virginis et Martyris, et in Breviario, præter Lectiones I Nocturni De Virgínibus.

In Vesperis et Laudibus fit comm. Feriæ.

In II Vesperis commemoratio sequentis et Feriæ.

De Octava fit comm. quotidie in utrisque Vesperis et Laudibus usque ad diem 16 tantum inclusive.

Die 19 Decembris

CONSTANTINOPOLI

DEDICATIO ECCLESIÆ CATH.

Duplex 1 classis

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ.

In utrisque Vesperis et Laudibus fit comm. Feriæ, pro qua in II Vesperis Ant. O radix Jesse.

APPENDIX

DECRETA

I.

Festum Manifestationis Christi Resurgentis celebratur in Basilica Emmauntina feria II Paschatis, ritu duplici I classis, cum Officio proprio, ex Decreto SS. RR. Congregationis diei 16 decembris 1902.

II.

ADDITIONES ET VARIATIONES

in generali Kalendario Romano-Seraphico pro Fratribus Minoribus, ad Regularem Terræ Sanctæ Custodiam pertinentibus.

Januario Mense:

die 15, IN ÆGYPTO, S. Pauli I Eremitæ C., duplex II classis.
» 19, Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, d. II classis. NAZARETH, d. I classis.
» 23, Desponsatio B. M. V. cum S. Joseph, d. II classis, cum commemoratione inseparabili ejusdem S. Joseph.
» 26, BETHLEHEM, S. Paulæ Romanæ Vid., d. II classis.

Februario Mense:

die 17, Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum, d. II classis. In Ægypto, d. I classis.

Martio Mense:

die 5, Bethlehem, S. Eusebii Cremonensis, d. II classis.
» 15, in Conventu SS. Sepulcri, S. Longini Militis, d. majus.
» 17, ibidem, S. Josephi ab Arimathæa, d. majus.
» 24, S. Gabrielis Arch., d. II classis. Nazareth, d. I classis.
» 26, in Conv. SS. Sepulcri, S. Boni Latronis, d. II classis.

Aprili Mense:

die 9, Emmaus, S. Mariæ Cleophæ Vid., d. majus.
» 25, in Ægypto, S. Marci Ev. Patr. Princ., d. I classis cum Oct. communi.

Majo Mense:

die 2, in Ægypto, S. Athanasii Ep. C. Doct., d. II classis.
» 3, Hierosolymis, Inventio SS. Crucis, d. I classis.

Junio Mense:

die 11, in Cypro, S. Barnabæ Ap. Patr. Princ., d. I classis cum Oct. communi.
» 13, S. Antonii Patavini, Patr. Princ. Custodiæ T. S., d. I classis cum Oct. communi.

Julio Mense:

die 15, SS. Sepulcri D. N. J. C., d. I classis cum Oct. priv. III Ord.

die 20, IN SS. M. THABOR, Commemoratio S. Eliæ Prophetæ, sub ritu duplici.
» 22, S. Mariæ Magdalenæ Pœnit., d. II classis. (IN SS. SEPULCRO cum commemorat. inseparabili aliarum Sanctarum Mulierum cum ipsa Magdalena in Mysteriis Mortis, Sepulturæ, ac Resurrectionis Christi participum).
» 29, S. Marthæ Virg., duplex.

Augusto Mense:

die 3, IN CONVENTU SS. SEPULCRI, S. Nicodemi Discipuli Domini, d. majus.
» 6, IN M. THABOR, Transfiguratio D. N. J. C., d. I classis cum Oct. priv. III Ord.
» 18, S. Helenæ Imperatr., d. II classis.

Septembri Mense:

die 4, IN M. THABOR, Commemoratio S. Moysis Legislatoris et Proph. sub ritu duplici.
» 14, HIEROSOLYMIS, Exaltatio SS. Crucis, d. I classis.
» 28, BETHLEHEM, S. Eustochii Virg., d. II classis.
» 30, ibidem, S. Hieronymi Præsb. Doct., d. II classis.

Octobri Mense:

die 1, DAMASCI, S. Ananiæ Discipuli Dni, d. II classis.

Novembri Mense:

die 5, APUD MONTANA JUDÆÆ, S. Zachariæ, Patris Præcursoris Domini, duplex II classis.
» 6, ibidem, S. Elisabeth, Matris ejusdem Præcursoris Domini, d. II classis.
» 25, ALEXANDRIÆ, S. Catharinæ V. M. Patr. Princ., d. I classis cum Oct. comm.

Decembri Mense:

die 5, B. Nicolai de Tavileis Mart. I Ord., duplex. HIEROSOLYMIS, duplex majus.

Festa Mobilia:

DOMINICA II POST EPIPHANIAM, Initii Signorum D. N. J. C. in Galilæa, d. II classis. GALILÆÆ, in Titulari Ecclesia Sanctuarii, d. I classis cum Oct. priv. III Ord.

FERIA III POST DOM. SEPTUAGESIMÆ, Orationis D. N. J. C., d. II classis. IN TITULARI ECCLESIA SANCTUARII, d. I classis cum Oct. priv. III Ordinis.

FERIA III POST DOM. SEXAGESIMÆ, Flagellationis D. N. J. C., d. II classis. IN TITULARI ECCL. SANCTUARII, d. I classis cum Oct. priv. III Ordinis.

Ordinis Fratrum Minorum, Custodiae Terrae Sanctae

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XV, referente infrascripto Cardinali Sacræ Rituum Congregationis Præfecto, supra scriptas variationes et additiones in Kalendario generali Ordinis Fratrum Minorum, a R.mo P. Ferdinando Diotallevi, Custode Terræ Sanctæ exhibitas et ab ipsa Sacra Congregatione revisas, prouti hic præiacent Decreto adprobare dignatus est, easque Fratribus Minoribus Custodiæ Terræ Sanctæ adhibendas benigne indulsit, servatis de cetero rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Augusti 1921.

(fto) † A. Card. VICO Ep. Portuen. Præf.
ALEXANDER VERDE S. R. C. Secretarius

(L. S.)

APPENDIX SECUNDA

SACRA CONGREGATIO
RITUUM

0.100/936

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Hodiernus Custos Terræ Sanctæ Ordinis Fratrum Minorum, typis mandare cupiens officia propria juxta Kalendarium ejusdem Custodiæ a Sacra Rituum Congregatione die 10 augusti 1921 approbatum, eidem Sacræ Rituum Congregationi pro debita approbatione et concessione sequentes lectiones humillime subjecit: Lectiones in primo nocturno, in festo Sancti Boni Latronis, et nonam lectionem contractam in festis Bb. Eustochii et Veridianæ - Lucæ Belludi - Sebastiani - Joannis Josephi a Cruce - Thomæ - Laurentii a Brundusio - Joannis, Vincentii et Novelloni - Beatricis et Paulæ - Bernardini - Joannis et Nicolai - Margaritæ. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa XI tributarum, prædictas lectiones revisit et approbavit, easque ab universa Minorum Familia Custodiæ Terræ Sanctæ addicta recitandas concessit.

Servatis Rubricis: contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 21 novembris 1936.

C. Card. LAURENTI
S. R. C. Præfectus

L. S.

A. CARINCI S. R. C. Secretarius

Die 1 Februarii

Pro BB. EUSTOCHIO et VERIDIANA

Virginibus 2 et 3 Ordinis

Lectio ix

EUSTÓCHIUM, nóbili Calafatórum génere Messánæ orta, núptias sibi a plúribus Sicíliæ dynástis oblátas, cæléstí únice Sponso placitúra, réspuit, ac in Messanénse Basicánum monastérium Franciscális Órdinis se recépit, ubi céteras moniáles præcláris vitæ exémplis ad æmulánda charísmata melióra excitábat. Severióris disciplínæ cúpida, novum Clarissárum monastérium Montis Vírginis instítuit, eíque prima regéndo præfícitur. Eucharístiæ mystérium ac Deíparam Vírginem singulári devotióne cóluit, et carnem suam flagellatiónibus, vigíliis, jejúniis affligébat. Ecclésiæ sacraméntis muníta, claríssimo in ejus cella, ut fertur, affulgénte sídere, in cælum migrávit anno millésimo quadringentésimo nonagésimo primo, décimo tértio Kaléndas Februárias, cujus cultum Pius sextus approbávit.

VERIDIÁNA in Castro Floréntino nata, oratióni et abstinéntiæ constánter vacávit. A Compostellána et Romána peregrinatióne domum revérsa, in cella eremítica se inclúsit, ibíque hábitum Tértii Órdinis a Seráphico Patre, ut fertur, suscépit,

carnem cruciávit et duórum serpéntium, Deo permitténte, diútinas vexatiónes patientíssime tolerávit. Ad últimum Kaléndis Februáriis anni millésimi ducentésimi quadragésimi secúndi purissimum spíritum Deo réddidit. Multis in vita et post mortem miráculis enítuit; ideóque ut illíus festum Offício ac Missa colerétur, Clemens Papa séptimus concéssit.

Die 17 Februarii

Pro B. LUCA BELLUDI

Confess. 1 Ordinis

Lectio ix

LUCAS, sæculo décimo tértio ineúnte ortus est ex nóbili et prædívite patavína Belludórum família; sed libentíssime delícias mundánas in ipso adolescéntiæ flore abjécit, et a Seráphico Patre hábitum Órdinis Minórum Patávii obtínuit. Sacerdótio auctus, vitæ sanctitáte et verbi Dei prædicatióne beátum Antónium æmulátus est. Ansidísium, Eccelíni tyránni vicárium, ádiit atque reprehéndit, quod multa contra Ecclésiam et permítteret et perpetráret. Quam ob rem Eccelínus totam Lucæ famíliam proscrípsit et univérsa Belludórum bona publicávit. Intérea a prædicatióne desístere coáctus, assídue Deum pro salúte pátriæ Lucas rogábat; et beátus Antónius ei quiescénti appáruit, prædicítque Patávium post páucos dies précibus ejus liberátum iri. Quod mox, Eccelíni intéritu, felíciter cóntigit. Tandem Miníster Provinciális eléctus ampliórem

ecclésiam ad venerándas sancti Antónii exúvias excitávit. Miráculis clarus, circa annum millésimum ducentésimum octogésimum séptimum Patávii óbiit, cultúmque ab immemorábili témpore ei præstitum Pius Papa undécimus confirmávit.

Die 25 Februarii

Pro B. SEBASTIANO de APARICIO

Confess. 1 Ordinis

Lectio ix

SEBASTIÁNUS Gudínæ in Hispánia ortum hábuit. Puer pascéndis grégibus déditus, cum duodecénnis ex lue letháliter contagiósa decúmberet, et solus in semidíruto tugúrio derelíctus esset, morsu cujúsdam lupi, qui léniter tumórem perrúpit, pusque viruléntum lingéndo abstérsit, sanus a matre repértus est. Adoléscens, vária hinc inde expértus discrímina, in Méxici regiónem abíre státuit, ubi píngues divítias, quas sibi labóre comparábat, víduis et órphanis aléndis, egéntibus puéllis dotándis, aliísque misericórdiæ opéribus impendébat. Bis matrimónium cum honéstis virgínibus contráxit, quas tamen intáctas relíquit, atque áltera defúncta Órdini Minórum jam septuagenárius adscríbi pétiit. Votis nuncupátis, omni virtútum génere illúxit, et sæpe noctes insómnes orándo traducébat, dignus proptérea quem Ángeli, ut fertur, aliquándo et enutríverint, et recreáverint, et itinerántem a plúvia et nívibus defénderint. Tandem mor-

bo senióque absúmptus, Angelópoli placidíssime óbiit, die vigésima quinta Februárii anno millésimo sexcentésimo, ætátis suæ nonagésimo octávo; quem virtútibus et miráculis clarum Pius sextus Póntifex Máximus Beatórum cœtui solémniter adscrípsit.

Die 5 Martii

Pro JOANNE JOSEPHO A CRUCE

Confess. 1 Ordinis

Lectio ix

ISCLÆ, Neapolitánæ ditiónis in urbe apud Ænáriam ínsulam, paréntibus nobilitáte ac probitáte præstántibus, ortus est Joánnes Joséphus a Cruce. Tenérrima adhuc ætáte virtútes excólere cœpit illustrióres, siléntii potíssimum, mortificatiónis, mundi suíque ipsíus abnegatiónis, quas assíduo oratiónis stúdio confovébat. Deíparæ cultum tunc témporis arrípuit, Dominicæque Passiónis et Eucarístiæ mystéria afféctu peculiári prosequebátur. Órdinem Fratrum Minórum amplexus, Seráphicum Patriárcham ejúsque alúmnum Petrum de Alcántara sibi imitándos propósuit. Sacerdótio ex obediéntia initiátus, disciplínis morálibus, quas numquam perdidícerat, improvíso excúltus visus est. Superiórum vénia, non longe a Pedemontáni Alíphæ cœnóbio, sacram erémum laborióse extrúxit, Fratrúmque rogátu leges quasdam pro sacro illo recéssu peculiáres cóndidit, dignas quæ a Sede Apostólica confirmaréntur. Novitiórum regímini præpósitus, ac dein novæ Provínciæ

Neapolitánæ sancti Petri de Alcántara primus Miníster renuntiátus, diffícile relátu est quot labóres calumniásque perpéssus sit, ut provínciam suam tranquíllo órdine firmáret. Ómnibus virtútibus, humilitáte imprímis, rigidáque claustrális disciplínæ custódia præclárus, paupertáte et abstinéntia enituit admirábili. Crebérrimas, uti fertur, inter orándum éxtases passus est, aliísque supérnis donis cláruit, ac postrémo octogenárius apopléctico morbo corréptus, anno septingentésimo trigésimo quarto supra millésimum Neápoli in ósculo Dómini obdormívit. Eúmdem novis miráculis coruscántem Pius Papa sextus Beatórum, Gregórius vero décimus sextus in Sanctórum cánonem rétulit.

Die 26 Martii

S. BONI LATRONIS CONFESSORIS

(v. pag. 100)

In I Nocturno

Lectio i

De Isaía Prophéta

Cap. LV, 6.

Quærite Dóminum, dum inveníri potest : invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum : quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes vestræ : neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatió-

nes meæ a cogitatiónibus vestris. Et quómodo descéndit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti: sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo: non revertétur ad me vacuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur in his, ad quæ misi illud.

℟. Pósui adjutórium super poténtem; * Manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. - ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. - Manus.

Lectio ii

Cap. LVII, 15

Quia hæc dicit Excélsus, et sublímis hábitans æternitátem: et sanctum nomen ejus in excélso et in sancto hábitans, et cum contríto et húmili spíritu: ut vivíficet spíritum humílium, et vivíficet cor contritórum. Non enim in sempitérnum litigábo, neque usque ad finem iráscar: quia spíritus a fácie mea egrediétur, et flatus ego fáciam. Propter iniquitátem avarítiæ ejus irátus sum, et percússi eum: abscóndi a te fáciem meam, et indignátus sum: et ábiit vagus in via cordis sui. Vias ejus vidi, et sanávi eum, et redúxi eum, et réddidi consolatiónes ipsi, et lugéntibus ejus. Creávi fructum labiórum pacem, pacem ei, qui longe est, et qui prope, dixit Dóminus, et sanávi eum.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília, et exorávit Altíssimum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. - ℣. Iste invéntus est in número Sanctórum. - Ipse intercédat.

Lectio iii
Cap. LIX, 1.

Ecce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat; neque aggraváta est áuris ejus, ut non exáudiat. Sed iniquitátes vestræ divisérunt inter vos et Deum vestrum, et peccáta vestra abscondérunt fáciem ejus a vobis, ne exaudíret. Manus enim vestræ pollútæ sunt sánguine, et dígiti vestri iniquitáte: lábia vestra locúta sunt mendácium, et língua vestra iniquitátem fatur. Non est qui ínvocet justítiam, neque est qui júdicet vere: sed confídunt in níhilo, et loquúntur vanitátes; concepérunt labórem, et peperérunt iniquitátem. Multiplicátæ sunt enim iniquitátes nostræ coram te, Dómine, et peccáta nostra respondérunt nobis: quia scélera nostra nobíscum, et iniquitátes nostras cognóvimus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas Paradísi coronávit eum. - ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas. Glória Patri. - Et ad portas.

Die 9 Aprilis
Pro B. THOMA A TOLENTINO
Martyre 1 Ordinis

Lectio ix

THOMAS, Tolentíni in Picéno natus, vix ínita adolescéntia Fratrum Minórum Órdini se adjúnxit. Seráphicam Régulam proféssus, ómnibus virtútibus, et máxime singuláris paupertátis amóre, ac zelo salútis animárum enituit; qua propter cum Áyton, rex Armenórum, sacerdótes postulásset, qui in

suo regno cathólicam religiónem propagárent ac tueréntur, ipse, quátuor adjéctis sodálibus, illuc missus est, ubi innúmeros schismáticos et infidéles ad Christi Ecclésiam perdúxit. Ad Nicoláum quartum Románum Pontíficem et ad reges Galliárum et Ángliæ legatióne felíciter perfúnctus, in Arméniam revérsus est, dein in Pérsiam tránsiit: ex qua íterum ad Cleméntem quintum missus est, ut eum de christiánæ religiónis provéctu docéret. In Oriéntem tértio revérsus, Colam conténdit, sed advérsa navigatióne Tanam dedúctus est, ubi gloriósum cum tribus ex eódem Órdine sóciis martýrium consummávit, quinto Idus Apríles, anno millésimo trecentésimo vigésimo primo. Cultum ab immemorábili témpore ei præstitum Leo décimus tértius Póntifex Máximus ratum hábuit et confirmávit.

Die 22 Julii

Pro S. LAURENTIO A BRUNDUSIO

Confess. 1 Ordinis

Lectio ix

LAURÉNTIUS, Brundúsii honéstis piísque paréntibus natus, a puerítia uni Deo vacáre, sacrásque conciúnculas ad circumfúsam multitúdinem intérdum habére, abstinéntia ínsuper et córporis afflictatióne enitére cœpit. Franciscáli hábitu inter Minóres Capulátos sumpto, ita sanctitáte profécit, ut ómnibus humilitáte, obediéntia, oratiónis stúdio, regularíque observántia antecélleret; vo-

tísque nuncupátis, philosophíam ac theologíam appríme dídicit; réliquum tempus váriis línguis studéndo ita impendébat, ut in iis concionári valéret; quæ res cáusa fuit cur opínio invalúerit linguárum donum ipsi a Deo fuísse tribútum. Sacérdos consecrátus, animárum salúti procurándæ se totum devóvit; nullis labóribus, vigíliis, ipsi vitæ pepércit, ut omnes Christo lucrifáceret. Ad hoc totam fere Europam peragrávit, innúmeros peccatóres ad pœniténtiam convértit, hæréticos ad falsa dógmata ejuránda vi veritátis adégit, Hebræos confutávit; tantúmque labórem Deo confirmánte sequéntibus signis, inter quæ celebérrima memorátur victória de Turcis, Lauréntio præeúnte, in Hungária a nostris reportáta. Demum méritis onústus laboribúsque attrítus, cum Neapolitanórum orátor ad Philíppum tértium in Lusitánia missus fuísset, Ulyssipóne in morbum íncidit et undécimo Kaléndas Augústas, anno millésimo sexcentésimo décimo nono, e vita discéssit. Miráculis in vita et post mortem cláruit, quibus rite probátis, Pius sextus Lauréntium Beatórum, Leo vero décimus tértius Sanctórum albo solémniter adscrípsit.

Die 13 Augusti

Pro BB. JOANNE DE ALVERNA, VINCENTIO ET NOVELLONE

Confess. 1 et 3 Ordinis

Lectio ix

JOÁNNES, in urbe Firmána ortus, vix septénnis solitária loca quærere cœpit, ut Christi Passiónem recóleret.

Decénnis vero inter Canónicos Reguláres sancti Petri de Firmo, ac tribus annis post inter Fratres Minóres adscítus, céllulam ad Alvérniæ Montem sibi exstrúxit, ut austeriórem ínibi vitam, divínis tamen charismátibus enutrítam institúeret. Túsciam prædicándi cáusa peragrávit, atque complúres Ecclésiæ Præsules ipsúmque Henrícum imperatórem in sui admiratiónem rápuit. Placidíssime obdormívit in Dómino quinto Idus Augústas, anno millésimo trecentésimo vigésimo secúndo, cultúsque immemorábilis ei exhíbitus a Leóne décimo tértio fuit confirmátus.

VINCÉNTIUS, Áquilæ in Vestínis natus, ac Órdini Fratrum Minórum inter sodáles láicos adscríptus, panem tantúmmodo herbásque absínthio mixtas ad esum, áquam ad potum adhibébat. Aliórum consórtio, ut Deo únice vacáret, abstinébat, integrásque aliquándo noctes précibus et contemplatióni tribuébat, dignus proptérea, qui sæpe in mentis excéssum raperétur. Prophético spíritu et miraculórum glória præclárus, Áquilæ vita decéssit, séptimo Idus Augústas, anno millésimo quingentésimo quarto, ejúsque immemorábilem cultum Pius sextus rite probávit.

NOVELLÓNUS, ortu Faventínus, júvenis mundánis illécebris aliquándiu indúlsit; donec gravi morbo corréptus facti pœnitens, doméstícam supelléctilem in cibos páuperum erogávit ac, uxóre defúncta, Tértio Órdini sancti Francísci se adscrípsit. Jejúniis, flagéllis, aliísque pœniténtiæ opéribus anteáctos erróres expiáre curávit, sacras peregrinatiónes núdipes perégit, donec charismátibus et miraculórum glória

ditátus, octogenárius obdormívit in Dómino sexto Kaléndas Augústas, anni ducentésimi octogésimi supra millésimum. Cultum ejus immemorábilem Pius séptimus confirmávit.

Die 18 Augusti

Pro Bb. BEATRICE DE SILVA ET PAULA MONTALDIA

Virginib. 2 Ordinis

Lectio ix

BEÁTRIX de Silva orta est Septæ Maróchii, paréntibus Lusitánis nobilitáte præcláris. Puélla devotiónem erga Deíparæ Conceptiónem Immaculátam excóluit. In áulam regis Castéllæ accíta, et in angustíssimum cárcerem imméritо dein ínclusa, manifésto Deíparæ auxílio, innocéntia ejus comprobáta, post breve tempus liberáta fuit. Tunc, relícta áula régia, Tolétum profécta est, quo in itínere a sanctis Francísco Assisiénsi et António Patavíno sibi apparéntibus confortáta fuit. In Monastério Órdinis Cisterciénsis quadragínta annis transáctis, de novo condéndo Vírginum Órdine, sub glorióso Immaculátæ Conceptiónis título, cogitáre cœpit, quem póstea reápse fundátum Innocéntius Papa octávus confirmávit; ibíque emíssis post annum votis religiósis, ad cæléstem migrávit Sponsum die décima sexta Augústi, anno millésimo quadringentésimo nonagésimo. Cultum ab immemorábili ei præstitum, Pius Papa undécimus confirmávit.

PÁULA Montáldia, Voltæ prope Mántuam nata, ab ipsa puerítia mundánas illécebras fastídiens, Moniálibus sanctæ Claræ décimo quinto ætátis suæ anno nomen dedit. Ad perfectiónis culmen omni conátu conténdens, ter in Antístitam céteræ Moniáles eam sibi delegérunt, quo in múnere Mantuáni monastérii increménto et Sorórum perfectióni vel máxime prófuit. Septuagenária major efflávit ánimam anno millésimo quingentésimo décimo quarto, ejúsque cultum Pius Papa Nonus rite probávit.

Die 28 Septembris

Pro B. BERNARDINO A FELTRIA

Confess. 1 Ordinis

Lectio ix

BERNARDÍNUS, illústri Tomitanórum génere Féltriæ natus, jam ab adolescéntia morum honestáti ita litterárum stúdium adjúnxit, ut judiciários astrólogos, non sine cívium admiratióne, públice confutáverit. Patávii, cum juris stúdio óperam daret, sancti Jacóbi Picéni conciónibus permótus, Órdini Fratrum Minórum se adscrípsit, in quo virtútum ápicem brevi consecútus est. Concionándi múnere suscépto, vigínti quinque annórum spátio Itáliam fere univérsam núdipes peragrávit, urbes ad concórdiam redégit, privátas inimicítias sedávit, pérditos hóminum mores reformávit, ac ubérrimos pœniténtiæ fructus ubíque collégit, sermónem Deo confirmánte frequéntibus signis. Singulári caritáte exéstuans,

multis in locis collégia ut egénis prospíceret, piásque sodalitátes ad divínum cultum promovéndum instituit. Advérsus iníquas Judæórum usúras Montes Pietátis ubíque per Itáliam aut eréxit, aut firmíssimis légibus reparávit ac communívit. Sæpe a nefáriis homínibus ad necem petítus, incólumis semper evásit, sicários peramánter compléctens. Nonnúlla Institúti sui cœnóbia constrúxit, ac a Summis Pontifícibus intérdum ad populórum dissídia componénda deléctus est. Tantis fessus labóribus, Papíæ ánimam Deo réddidit quarto Kaléndas Octóbres, anno salútis millésimo quadringentésimo nonagésimo quarto. Cultum ab immemorábili témpore ei tribútum Innocéntius Papa décimus ratum hábuit et confirmávit.

Die 1 Octobris

Pro Bb. JOANNE A DUKLA et NICOLAO A FURCA PALENA Confess. 1 et 3 Ordinis

Lectio ix

JOÁNNES, Duklæ in Polónia natus, adoléscens Franciscáli Órdini se adscrípsit et Frátribus ob singuláres virtútes acceptíssimus evásit; plúribus cœnóbiis inde ex obediéntia præfuit et Leapolitánam Custódiam administrávit. Cæléstium rerum contemplatióni insístere, proximúmque ómnibus caritátis offíciis prósequi in delíciis hábuit, nullam sine mœróre vel mínimam régulæ partem négligi animadvertébat. In ministério con-

cionándi, ac in Ruthénos Armenósque ad fídei unitátem revocándos totus incúbuit, donec ex diútino morbo cæcitáte contrácta, septuagenárius Leópoli obdormívit in Dómino, anno millésimo quadringentésimo octogésimo quarto. Cultum ab immemorábili témpore ei præstitum Clemens Papa duodécimus confirmávit.

NICOLÁUS, Tértii Franciscális Órdinis alúmnus, Furcæ Palénæ in Pelígnis ortum hábuit, et a primæ adolescéntiæ annis oratióni et jejúnio vacáre cœpit. Sacérdos factus, plures in pátria annos integérrime degit, deínde Romam pétiit, ubi eremíticam vitam cum nonnúllis sodálibus aggréssus est. Hinc inde váriis in civitátibus monastéria vel excitávit vel moderávit, donec supérnis donis et miráculis clarus, tértio Kaléndas Octóbres anni millésimi quadringentésimi quadragésimi noni centenárius ánimam Deo réddidit. Immemorábilem cultum ei tribútum Clemens quartus décimus ratum hábuit.

Die 6 Novembris

Pro B. MARGARITA A LOTHARINGIA

Vidua 2 Ordinis

Lectio ix

MARGARÍTA, e claris Lotharíngiæ dúcibus oriúnda, adhuc infans virtútum splendóre inter pares excélluit. Adúlta ætáte, Renáto Alenconiénsi duci connúbio trádita, líberos sancte enutrívit; defúncto vero cónjuge, mira prudéntia, fortitúdine, ac religióne pópulum sibi súbditum gubernávit.

Ómnibus prodésse, oppréssis subveníre, pupíllos tuéri, víduas defendere, egénis succúrrere, ægrótis étiam atque leprósis ipsa inservíre stúduit; ínsuper scholas instrúxit quamplúres, ecclésias, monastéria, valetudinária ædificávit et áuxit, præsértim ut públici mores reformaréntur curávit. De se humíliter séntiens, carnem jejúniis et flagéllis castigábat, labóri et oratióni indefésse vacábat, ac perfectiónis stúdio inflammáta, Tértio Órdini sancti Francísci se adscrípsit in monastério Argentónii a se cóndito, ubi et ipsa régulam sanctæ Claræ professa est. Ibi vero die secúnda Novémbris anno quingentésimo vigésimo primo supra millésimum placidíssime ánimam efflávit. Ejúsdem sanctitátem incorrúptum corpus, cælésti quodam odóre flagrans, ac mirácula, uti fertur, ejus intercessióne a Deo patráta comprobárunt; cultúmque assíduum ei præstitum Benedíctus décimus quintus ratum hábuit et confirmávit.

LA DIVINA LITURGIA LATINA + LaPaginedDonCamillo.blogspot.it +

INDEX OFFICIORUM

QUÆ IN HOC LIBELLO CONTINENTUR

Approbatio Rmi P. Custodis . . . . . p. III
Kalendarium Officiorum . . . . . » V

Anania Discipulus Domini & M. . . . . » 202
Angelina de Marsciano Vid. . . . . » 155
Antonius Abbas . . . . . » 3
Antonius Patavinus Conf. . . . . » 130
Apollinaris Ep. & Mart. . . . . » 171
Athanasius Ep. Conf. & Doct. . . . . » 128
Barnaba Apostolus . . . . . » 130
Bibiana Virgo & Mart. . . . . » 237
Bonaventura Ep. Conf. & Doct. . . . . » 148
Bonus Latro Conf. . . . . » 100
Bonus Pastor . . . . . » 127
Catharina Virgo & Mart. . . . . » 220
Cleopha Discipulus Domini & Mart. . . . » 195
Coleta Virgo . . . . . » 89
Conversionis s. Pauli Ap. . . . . » 9
Cor Jesu . . . . . » 141
Corpus Christi . . . . . » 141
Dedicatio Eccl. Cath. Constantinopol. . . » 240
» » » Hierosolym. . . . » 17
» » » Washington . . . » 129
» » propriæ . . . . . » 209
Dedicatio s. Michaëlis Archangeli . . . . » 201
Dominica Palmarum . . . . . » 110
Elia propheta . . . . . » 150

Elisabeth Mater Præcurs. Domini . . . . p. 214
Emmanuel Ruiz & Socii Mart. . . . . » 148
Ephræm Syrus Diaconus Doct. . . . . » 133
Eusebius Cremonensis Abb. . . . . » 86
Eustochium Virgo . . . . . » 198
Exaltatio s. Crucis . . . . . » 194
Familia Jesu, Maria, Joseph . . . . . » 1
Flagellatio D. N. J. C. . . . . » 62
Franciscus Assisias Conf. . . . . » 203
Franciscus Xaverius Conf. . . . . » 238
Fuga D. N. J. C. in Ægypto . . . . . » 18
Gabriel Archangelus . . . . . » 99
Georgius Martyr . . . . . » 118
Helena Imperatrix Vid. . . . . » 189
Hieronymus presb. Conf. & Doct. . . . . » 201
Ignatius Conf. . . . . » 172
Inventio s. Crucis . . . . . » 129
» s. Stephani protomart. . . . . » 176
Initium Signorum D. N. J. C. . . . . » 2
Jacobus & Philippus Apostoli . . . . . » 128
Joannes Baptista . . . . . » 140
» Chrysostomus Ep. C. & Doct. . . . » 14
Joseph ab Arimathæa Conf. . . . . » 94
» Benedictus Cottolengo Conf. . . . » 125
» Sponsus B. M. V. . . . . » 99
Longinus Miles Mart. . . . . » 90
Lucia Virgo & Mart. . . . . » 240
Ludovicus Rex Conf. . . . . » 192
Manifestatio Christi resurgentis . . . . » 110
Marcus Evangelista . . . . . » 122
Mariæ V. Annuntiatio . . . . . » 99
» Assumptio . . . . . » 182
» Desponsatio . . . . . » 4
» Imm. Conceptio . . . . . » 239
» de Monte Carmelo . . . . . » 149
» Præsentatio . . . . . » 220
» Septem Dolorum . . . . . » 109
» Visitatio . . . . . » 141
Maria V. Regina Palestinæ . . . . . » 182
Maria Cleopha Vid. . . . . » 117
» Francisca a V Vulnerib. . . . . » 207
» Magdalena pœnitens . . . . . » 156
Marta Virgo . . . . . » 172

Michelina a Pisauro Vid. . . . . p. 139
Moyses propheta . . . . . » 193
Nicodemus Discip. Domini . . . . . » 173
» » » . . . . . » 175
Nicolaus & Socii Mart. . . . . » 146
» de Tavileis Mart. . . . . » 239
Nominis Jesu . . . . . » 1
Octava s. Antonii Abb. . . . . » 4
» s. Antonii Patavini . . . . . » 134
» s. Barnabæ Ap. . . . . » 131
» s. Bonaventuræ E. C. D. . . . . » 151
» Boni Pastoris . . . . . » 127
» s. Catharinæ V. M. . . . . » 233
» s. Cleophæ Mart. . . . . » 202
» Conversionis s. Pauli Ap. . . . . » 15
» Dedicat. s. Michaëlis Arch. . . . . » 204
» Fam. Jesus, Mariæ, Joseph . . . . » 2
» Flagellationis D. N. J. C. . . . . » 86
» s. Georgii Mart. . . . . » 122
» s. Ludovici Reg. Conf. . . . . » 192
» B. M. V. de Monte Carmelo . . . . » 166
» s. Simeonis Ep. & Mart. . . . . » 43
» Transfigurationis D. N. J. C. . . . . » 178
» Visitationis B. M. V. . . . . » 142
Oratio D. N. J. C. . . . . » 44
Paula Romana Vid. . . . . » 10
Pauli primi Eremitæ . . . . . » 3
Petrus et Paulus Apostoli . . . . . » 140
Philippus Apostolus . . . . . » 128
Rochus Confessor . . . . . » 188
Sepulcrum D. N. J. C. . . . . » 149
Simeonis Ep. & Mart. . . . . » 37
Theresia a Jesu Infante Virg. . . . . » 203
Timotheus Ep. & Mart. . . . . » 8
Transfiguratio D. N. J. C. . . . . » 177
Zacharia Pater Præcurs. Domini . . . . » 209